

36845

Missae de Requie

juxta Rubricas a Leone Papa XIII reformatas
et Decreta S. Rituum Congregationis novissima,

accedit appendix

de Missis in altari privilegiato.



Tractatus liturgicus in usum Cleri
concinnatus

a

JOSEPHO ERKER,


Canonico ecclesiae cathedralis Labacensis.

Cum approbatione Reverendissimi Ordinariatus Labacensis.

— 1903. —

LABACI.

Sumptibus auctoris. Venumdatur in libraria catholica Labaci in Austria.
Litteris typographiae catholicae.



Missae de Requie

juxta Rubricas a Leone Papa XIII reformatas
et Decreta S. Rituum Congregationis novissima,

accedit appendix

de Missis in altari privilegiato.



Tractatus liturgicus in usum Cleri
concinnatus

a

JOSEPHO ERKER,

Canonico ecclesiae cathedralis Labacensis.



Cum approbatione Reverendissimi Ordinariatus Labacensis.

— 1903. —

LABACI.

Sumptibus auctoris. Venumdatur in libraria catholica Labaci in Austria.
Litteris typographiae catholicae.



IN-03000 7712

Lectori benevolo!

Ex quo, auspice ipso Summo Pontifice Leone Decimotertio, Rubricae tam Breviarii quam Missalis Romani reformari coeperunt novaque in hunc finem non pauca S. Rituum Congregationis Decreta prodierunt, novum quoque jus liturgicum circa Missas de Requie celebrandas introductum est.

Cujus juris principia quum ab antiqua lege non parum discrepent, operae pretium judicavimus, quae ad rem faciunt Decreta recentiora, diversis occasionibus edita variisque in locis dispersa, colligere, disponere atque explicare. In quo labore ad unguem haerebamus S. Rituum Congregationis Decretis, quae in novissima Collectione authentica a Sanctitate Sua die 16. Februarii 1898 approbata continentur, necnon aliis recentissimis, quae post annum 1899 ab eadem Congregatione edita fuerunt.

In explicandis his Decretis et respectivis Rubricis ad eorum normam concinnatis, potissimum sequebamur *Ephemerides Liturgicas*, Actorum Academiae Liturgicae Romanae publicationem mensilem, quarum opera obscurae passim huic materiae haud parum luminis allatum est.

Si quos labor noster in dimetiendo hoc Rubricarum campo tulerit fructus, isti ad majorem Dei gloriam conducant precamur.

Labaci, in Festo Epiphaniae Domini 1903.

Auctor.

Articulus primus.

De Missis de Requite in genere.

Caput I.

Missae de Requite notio.

1. Missae de Requite sunt Missae, quae pro defunctis in colore nigro extra ordinem Officii juxta proprium formulare et peculiarem ritum celebrantur. In qua definitione dicitur, Missas de Requite celebrari:

1. Pro defunctis. Etsi enim illicitum non sit, ex causa rationabili celebrare Missam de Requite cum applicatione pro vivis, dummodo non diverse praescripserit dans eleemosynam;¹⁾ nihilominus hoc regulariter fieri non debet, quum ex communi aestimatione hominum Missae de Requite celebrari censeantur pro defunctis.

2. In colore nigro. Definitum enim est, Missas de Requite celebrandas esse omnino in paramentis nigris, adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu, quo die 2. Novembris ss. Eucharistiae Sacramentum publicae Fidelium adorationi sit expositum pro solemniori Oratione Quadraginta Horarum.²⁾ Eo minus in Missis de Requite adhibere licet alium colorem.

3. Extra ordinem Officii. Nullam enim Missae de Requite habent cohaerentiam cum Officio diei, dum econtra reliquae Missae, nisi sint votivae, celebrantur secundum ordinem Officii³⁾ diei, hoc est de quo Sancto aut Myserio factum est Officium, de eodem etiam fit Sacrificium.

4. Juxta proprium formulare. Quatuor pro Missis de Requite celebrandis in missali exhibentur for-

¹⁾ S. C. de Prop. Fide 13. Oct. 1856. Apud Bucceroni, Enchir. morale ed. 3., pag. 282. — ²⁾ S. R. C. 27. Jun. (23. Jul.) 1868 n. 3177. — ³⁾ Rub. gen. missal. in exordio.

mularia, quae inscribuntur: *a)* In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, *b)* In die Obitus seu Depositionis Defuncti, *c)* In Anniversario Defunctorum, *d)* In Missis Quotidianis Defunctorum. Quoniam ex his Missis in singulis casibus eligenda sit, suo loco dicitur. Hic notamus tantum Rubricam specialem in fine quartae Missae positam: »Epistolae et Evangelia superius posita in una Missa pro Defunctis, dici possunt etiam in alia Missa similiter pro Defunctis.« Una Missa ab alia non differt nisi in Orationibus, Epistola et Evangelio, ergo, demptis Orationibus, liberum est quamcunque Missam pro quocunque et in qualibet circumstantia dicere.⁴⁾ Convenit tamen, recte monet cl. Herdt, in unaquaque Missa servare suam Epistolam et Evangelium, quia non-nisi ob quamdam congruentiam unicuique Missae assignata sunt.⁵⁾

5. Juxta peculiarem ritum. Ritus namque Missarum de Requite aliquatenus differt a ritu reliquarum Missarum et in missali describitur sub titulo XIII. Ritus celebrandi Missam.⁶⁾

Caput II.

Missarum de Requite divisio.

2.—1. Respectu ritus sunt Missae de Requite ritus duplicis, semiduplicis et simplicis. Juxta Rubricas generales missalis tit. IX. n. 1. in Festis duplicibus dicitur una tantum Oratio. Quod valet etiam quoad Missas de Requite, quae consequenter sunt ritus duplicis seu ritui duplici respondent tunc, quando unam tantum habent Orationem, vel, si ita velis, ideo habent unicam Orationem, quia sunt ritus duplicis. Juxta easdem Rubricas n. 2. et seq. in Festis semiduplicibus dicuntur tres, et juxta n. 12. in Festis simplicibus tres vel quinque vel septem Orationes ad libitum. Quod ad amissim di-

⁴⁾ Ideo in antiquis missalibus, teste Cavalierio, quatuor Epistolae et Evangelia continenti serie sub una eademque Missa referuntur. Tom. III. cap. 10. n. 16. — ⁵⁾ S. Lit. Prax. I. n. 53. — ⁶⁾ Ueberior explanatio hujus ritus habetur in opere meo Enchiridion Liturgicum.

cendum est etiam respectu Missarum de Requie ritus semiduplicis et simplicis. Itaque ritus semiduplicis sunt seu ritui semiduplici respondent illae Missae de Requie, quae tres Orationes, nec plures nec pauciores, habent, ritus simplicis vero illae, quae etiam plures quam tres, usque ad septem Orationes, numero semper impari, habere possunt.

2. Respectu solemnitatis extrinsecae distinguuntur: *a)* Missae de Requie solemnes, quae celebrantur cum cantu, Ministris sacris et thure; *b)* cantatae, quae celebrantur cum cantu ex parte Celebrantis et Chori, sed sine Ministris sacris et sine thure; *c)* privatae, quae fiunt neque cum cantu neque cum Ministris sacris neque cum thure. Missae sub *a)* et *b)* vocantur etiam Missae de Requie cum cantu vel in cantu, Missae sub *c)* vero lectae seu sine cantu, quia simpliciter leguntur. Aliquando denominatio »Missa cantata« in Rubricis et Decretis¹⁾ occurrens significat tam cantatam quam solemnem, utpote quae revera fiunt cum cantu et opponuntur Missis sine cantu.

Ex titulo solemnitatis intrinsecae, de qua videsis n. 9. et 13., pariter distinguuntur Missae de Requie solemnes et privatae. Nota distinctiva Missae sollemnis de Requie hoc sensu est unica Oratio, privatae vero plures Orationes.

3. Respectu privilegiorum, quibus fruuntur, dantur: *a)* Missae de Requie privilegiatae, quae certis praerogativis prae aliis gaudent ac ritus duplicis censentur et sunt; *b)* non privilegiatae, quae hujusmodi praerogativis destituuntur vel, etsi accidentaliter quibusdam privilegiis gaudeant, nihilominus non sunt ritus duplicis, cujus generis sunt Missae de Requie quotidianae. Generaliter loquendo Missae de Requie privilegiatae celebrari possunt etiam in Duplicibus et aequivalentibus, non privilegiatae vero in Semiduplicibus et inferioribus.

4. Respectu occasionis, qua celebrantur, habentur: *a)* Missae exequiales, quae litantur in die vel

¹⁾ E. g. Rub. gen. miss. tit. V. n. 3. et S. R. C. 30. Jun. 1896 ad I. n. 3920.

pro die obitus seu depositionis, *b*) Missae de die tertio, septimo et trigesimo, *c*) Anniversaria, *d*) Missae quotidianae defunctorum, quae celebrantur extra modo enumeratos dies.

5. Respectu obligationis dicuntur: *a*) fundatae, quae celebrari debent ex titulo foundationis factae, *b*) adventitiae, quae celebrantur ad petitionem stipendium offerentis, *c*) a Rubricis provisae, celebrandae scilicet ex dispositione et praecepto Rubricarum, quales sunt Missae pro defunctis, quae in ecclesiis cathedralibus et collegiatis celebrantur prima die mensis non impedita et Feria secunda cujusque hebdomadae pariter libera.²⁾

Caput III.

De Obligatione celebrandi Missas de Requite.

Quaeritur, utrum Sacerdos obligatus ad celebrandam Missam pro defunctis, obligationi suae satisfaciat celebrando Missam Officio diei conformem, an teneatur celebrare Missam de Requite? et an obligatus ad celebrandum pro vivis, satisfaciat obligationi susceptae celebrando Missam de Requite? Ad determinandum, quomodo se Celebrans in dictis casibus gerere debeat, statuuntur sequentes regulae.

3. Regula generalis:

In Missis celebrandis quibuscunque, tam pro vivis quam pro defunctis, cum vel sine cantu, expressa fundatorum vel stipendium erogantium voluntas respicienda est, dummodo non repugnet legibus liturgicis.

Ratio primi est, quia S. Rituum Congregatio ipsa rescripsit: »Expressa voluntas testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri.«¹⁾ Idem docet cl. Cavalieri: »Certum est, quod, si stipem erogans Missae qualitatem praescripsit, hanc servare

²⁾ Rub. gen. miss. tit. V. n. 1. 2.

¹⁾ S. R. C. 3. Mart. 1761 ad 7. n. 2461.

tenetur Sacerdos, ne fidelitatem violet.«²⁾ Ratio secundi est, quia violandae non sunt Rubricae et Decreta ob ignorantiam Laicorum. Quotiescunque ergo sive ex fundatione sive ex stipendio accepto celebranda sit Missa de Requie et non alia, et Rubricae aut Decreta non obstant, necessario celebrari debet Missa de Requie et non alia, ita ut Sacerdos obligationi suae non satisfaceret celebrando Missam de die, licet eam applicaverit ad mentem fundatoris vel dantis. Si vero celebranda esset Missa de Requie die liturgice impedita, tunc voluntas sive fundatoris sive petentis prorsus est negligenda, quia in casu non esset rationabilis, utpote legibus liturgicis contraria. In casu ergo Missa de Requie, si agitur de fundata, transferenda est in diem liturgice liberam, si vero agitur de adventitia, instruendus est Missam petens, ut eam transferat in aliam diem non impeditam, quod si noluerit, voluntati ejus satisfiat per Missam Officio conformem die ab ipso destinata.

4. Regulae speciales:

1. Quaecunque Missae pro defunctis cum cantu celebrandae, esse debent de Requie, nisi ii, quorum interest, Missam de die admiserint.

Hoc valet quoad omnes Missas pro defunctis cum cantu tam privilegiatas quam non privilegiatas seu quotidianas. Quantum ad priores S. Rituum Congregatio statuit, Missas sive exequiales, sive de tertio, septimo aut trigesimo die, sive Anniversaria, in casu impedimenti liturgici transferendas esse in primam diem liberam³⁾. Unde manifesto apparet, Missis privilegiatis pro defunctis cum cantu non posse substitui Missas de die. Sed neque quoad Missas non privilegiatas seu quotidianas cum cantu hoc licet, quum a S. Rituum Congregatione definitum sit, Missas cantatas de Requie a testatoribus relictas sine praefixione dierum diebus impeditis non posse esse Missas diei currentis, sed in casu

²⁾ Comment. tom. III. cap. X. n. 19. — ³⁾ S. R. C. 22. Dec. 1753 ad 1. n. 2427.; Decr. gen. 2. Dec. 1891 ad 2. et 3. n. 3753. et n. 3755. ad 3.

celebrandas esse diebus a Rubrica permissis.⁴⁾ Neces-
sario igitur in omnibus praefatis casibus celebrari debet
Missa de Requite, ut satisfiat susceptae obligationi, et
si ob aliquod impedimentum liturgicum certa die cele-
brari nequeat, transferri debet, ut cessante impedimento
celebrari valeat. Si vero ii, quorum interest, testator
scilicet vel stipendium erogans, consentiant, ut in casu
impedimenti legitimi fieri possit Missa de die, horum
dispositioni rationabili adhaerere et Missam de die cele-
brare utique fas est, dummodo Sacrificium applicetur
ad eorum intentionem.

2. Si Missae quotidianae pro defunctis sine
cantu, sive fundatae sive adventitiae, cele-
brandae sint diebus impeditis, Sacerdos satis-
facit suae obligationi celebrando Missam de
die cum applicatione pro defunctis.

Dies impediti pro celebratione Missarum quoti-
dianarum pro defunctis sunt: Festa duplicia, Dominicae
per annum, dies infra Octavas privilegiatas, Vigiliae
privilegiatae, Feriae privilegiatae, dies publicae exposi-
tionis Sanctissimi, sed durante expositione tantum in
respectivis ecclesiis, dies S. Marci et Rogationum in
ecclesiis ad processionem obligatis unam tantum Missam
habentibus. (Vide artic. tert.) Si hisce diebus occurrerit
Missa quotidiana pro defunctis legenda, tunc, si sit ex
fundatis, minime transferatur in aliam diem non impe-
ditam, ne dilatio animabus suffragia exspectantibus
detrimento sit, sed Sacerdos in casu debet dicere
Missam de Officio currenti cum applicatione juxta men-
tem testatorum.⁵⁾ Si vero Missa sit ex adventitiis, tunc
Sacerdos in casu potest litare Missam Officio diei
conformem, dummodo applicet juxta mentem dantis
eleemosynam, sed »consultius est, ut, in quantum fieri
possit,⁶⁾ intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per
Missam de Requite.«⁷⁾ In utroque casu ergo Celebrans

⁴⁾ S. R. C. 23. Aug. 1766 ad 1. n. 2482. — ⁵⁾ S. R. C. 3. (5.)
Jun. 1662 n. 1235.; 5. Aug. 1662 n. 1238.; 4. Aug. 1674 n. 1523. —

⁶⁾ Exspectando scilicet diem liberam hanc Missam admittentem,
si res non urgeat. — ⁷⁾ S. R. C. 13. Jun. 1899 ad 4. n. 4031.

satisfacit susceptae obligationi per Missam de die applicandam pro respectivis defunctis.

3. Si Missae quotidianae pro defunctis sine cantu celebrandae sint diebus liberis, Celebrans, generaliter loquendo, satisfacit obligationi suae tam per Missam de Requie quam per Missam diei currentis.

Dies liberi pro celebrandis Missis quotidianis defunctorum seu dies, quibus licet celebrare Missas quotidianas de Requie, sunt ii, quorum Officium est ritus semiduplicis aut simplicis. Hisce ergo diebus Sacerdos obligatus ad Missam pro uno vel pluribus defunctis celebrare potest vel Missam de Requie vel Missam Officio conformem. Eruitur hoc ex Decreto S. C. Indulgentiarum, in quo ad quaesitum: »Utrum Sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando ritum Ferae vel cujuscunque Sancti, etiamsi non sit Semiduplex aut Duplex?« declaratum est: »Affirmative«. ⁸⁾ In utroque casu ergo satisfit susceptae obligationi; nihilominus consultius esse videtur, ut etiam in his casibus satisfiat per Missam de Requie. ⁹⁾ Sed haec omnia generaliter dicta sunt. Si enim dans vel relinquens stipendium qualitatem Missae determinaverit, ejus dispositioni standum est juxta regulam generalem. Et si agatur de Missa celebranda in altari privilegiato cum Indulgentia pro defunctis, tunc observanda est regula subsequens.

4. Si Missa pro uno vel pluribus defunctis cantanda vel legenda sit in altari privilegiato, esse debet Missa de Requie ad lucrandam Indulgentiam altaris, iis diebus, quibus Missae de Requie permittuntur.

Ratio est, quia Indulgentia altaris privilegiati pro defunctis lucrari nequit per Missam de die in altari privilegiato, si ceteroquin Missam de Requie celebrare licet, sicut ex variis tam Indulgentiarum quam Rituum

⁸⁾ S. C. Indulg. 11. Apr. 1840 ad 1. n. 281. — ⁹⁾ Decr. n. 4031. supracitatum; S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 15. in Labacen.

Congregationis Decretis abunde patet.¹⁰⁾ Relate ad dies Missas de Requite excludentes autem definitum est, per celebrationem Missarum de Festo currenti in altari privilegiato cum applicatione Sacrificii juxta mentem benefactorum satisfieri susceptis obligationibus et suffragari cum iisdem Indulgentiis, perinde ac si essent celebratae Missae de Requite.¹¹⁾

5. Sacerdos celebrando Missam de die in casu, quo deberet celebrare Missam de Requite, peccat quidem, sed venialiter tantum, et ad restitutionem non tenetur, dummodo applicaverit ad finem praescriptum.

Celebrans in casu peccat quidem, quia committit inordinationem quamdam vel violat fidelitatem (cf. reg. gen.); ast peccat venialiter tantum, quia ista inordinatio non committitur in essentialibus sed nonnisi in accidentalibus, et virtus fidelitatis in casu non tam graviter obligare videtur;¹²⁾ ad restitutionem non tenetur, quia, quod fructum Sacrificii attinet, nullum defunctis infertur praejudicium. Licet enim magis prosit defunctis Missa de Requite quam e. g. Missa de Sanctis, non quidem ex parte Sacrificii, cujus valor idem est in omnibus Missis, sed potius ex parte Orationum, in quibus Ecclesia expresse et directe intercedit pro defunctis, harum tamen defectus suppleri potest per majorem devotionem sive celebrantis sive celebrare jubentis, imo etiam per intercessionem Sancti, cujus suffragium in Missa imploratur. Unde recte infert cl. Cavalieri¹³⁾ dicens: »Certum est, quod hujusmodi sacrificantes, dummodo Missam applicent ad finem praescriptum, ad restitutionem minime tenentur, quia fructus principalis et satisfactorius, cui respondet stipendium, aequalis est in Missis omnibus.«

6. Per celebrationem Missae de Requite satisfit obligationi celebrandi pro vivis, dummodo dans eleemosynam Missam de Requite expresse non excluserit.

¹⁰⁾ Vide append. cap. II. — ¹¹⁾ Decr. gen. 1. Dec. 1666 n. 1343.; 20. Jul. (13. Aug.) 1669 n. 1392.; S. R. C. 24. Jul. 1683 ad 3. n. 1714. —

¹²⁾ Herdt S. Lit. Prax. I. n. 66. in nota. — ¹³⁾ L. c. tom. III. cap. X. n. 19.

Quoad substantiam enim et valorem ex opere operato non datur distinctio inter singulas Missas, et fructus principalis ac satisfactorius, uti modo (supra ad reg. 5.) diximus, aequalis est in omnibus Missis, sive celebrentur secundum sive extra ordinem Officii et sive fiant pro vivis sive pro defunctis. Potest ergo pro vivis applicari Missa de Requie et Celebrans per huiusmodi applicationem satisfacit obligationi suae, nisi stipem offerens Missam de Requie expresse excluserit (reg. gen.). Confirmatur haec sententia a S. Congregatione de Propaganda Fide, quae ad quaesitum: »An liceat Sacerdotibus uti paramentis nigris et celebrare Missam de Requie, ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt celebrandi pro vivis?« die 13. Oct. 1856 respondit: »Affirmative, modo non diverse praescripserit, qui dedit eleemosynam.«¹⁴⁾ Sed parce hac facultate utendum est, quia per se minus convenit, sine necessitate aut sufficienti ratione Missas de Requie celebrare pro vivis.

Caput IV.

De Impedimentis Missarum de Requie.

5. Non omni die neque in qualibet ecclesia Missae de Requie permittuntur, etsi per se forte non sint illicitae. Obstare enim possunt varia impedimenta liturgica, quae reducuntur potissimum ad tria haec: a) ritus qualitas, b) expositio ss. Sacramenti, c) penuria Sacerdotum. Quo sensu et in quantum haec impedimenta celebrationem Missarum de Requie cohibere valeant, in sequentibus brevi calamo explanaturi sumus, ne postea iterum iterumque in idipsum redire cogamur.

§ 1. *Ritus qualitas.*

6. Hoc impedimentum consistit in eo, quod obstante quorundam dierum ritu Missae de Requie istis diebus vel prorsus non vel ex parte tantum celebrari permittuntur. Aut enim occurrit Dominica celebranda,

¹⁴⁾ Apud Bucceroni, Enchir. morale, edit. 3., pag. 282.

aut Festum potiori ritu recolendum, aut FERIA non omittenda. Oritur itaque impedimentum quoddam ritus, nempe ritus ferialis, puta FERIAE privilegiatae; ritus festi-
 valis, puta Festi ritus duplicis; ritus dominicalis, puta Dominicae. Attamen non eundem effectum habet ritus quoad singulas Missas de Requite excludendas.

Ritus ferialis, FERIA nempe privilegiata impedit quascunque Missas de Requite praeter exequiales, quae tamen ultimis tribus FERIIS hebdomadae majoris pariter impediuntur. FERIAE privilegiatae sunt: FERIA IV. Cinerum et omnes FERIAE hebdomadae majoris.

Ritus festi-
 valis, Festum scilicet recolendum sub ritu duplici classico (primae et secundae classis) vel non classico (duplex majus et minus) impedit diversimode: Festum duplex minus impedit, generaliter loquendo, jam Missas quotidianas de Requite; Festum duplex majus impedit insuper Anniversaria late sumpta; Festum duplex secundae classis excludit praeterea Anniversaria stricte sumpta, Missas de die III., VII., XXX., Missam post acceptum de alicujus obitu nuntium et Missam exequialem translata; Festum duplex primae classis praeter enumeratas impedit Missas exequiales lectas et, si Festum sit de solemnioribus, etiam Missam exequialem cum cantu.

Ritus dominicalis, videlicet Dominica recolenda impedit quascunque Missas de Requite, excepta Missa exequiali cum cantu, quae tamen pariter impeditur in Dominica, in quam solemnitas alicujus Festi transfertur. Huc referuntur etiam Festa cum feriati-
 one recolenda seu de praecepto servanda, quae similiter impediunt Missas quascunque de Requite, imo exequialem cum cantu, si Festum sit ex solemnioribus. Nonnunquam in Decretis agentibus de diebus Missas de Requite excludentibus nominantur Festa de praecepto tantum, minime vero Dominicae,¹⁾ dum alias expresse nominentur Dominicae et Festa de praecepto.²⁾ Sed indubium est, S. Rituum Congregationem, si aliquando sola

¹⁾ E. g. Decr. gen. 2. Dec. 1891 ad 3. n. 3755.; Rub. gen. miss. tit. V. n. 2. — ²⁾ Decr. 19. Maji (8. Jun.) 1896 n. 3903. et 9. Maji (12. Jun.) 1899 n. 4024.

Festa de praecepto nominet ac Dominicas sileat, has in illis velle contineri, ut quod de Festis de praecepto praedicat, etiam de Dominicis citra ullam controversiam praedicari debeat.³⁾

§ 2. *Expositio ss. Sacramenti.*

7. Quum luctus, quem omnis Missa de Requite praesefert, et laetitia, quam expositio venerabilis Sacramenti praedicat, facile conciliari nequeant, sed mutuo sese excludere videantur, per se nascitur impedimentum, quominus tempore expositionis almae Eucharistiae in respectivis ecclesiis celebrentur Missae de Requite, licet ritus non obstat.

Distinguitur duplex expositio Sanctissimi, publica seu sollemnis et privata seu non sollemnis. Prior intelligitur, quae fit cum ostensorio¹⁾ in throno tabernaculi palam collocato; altera, quae fit cum pyxide (ciborio) intra tabernaculum, ostiolo patefacto, remanente. Ad dignoscendum, in quantum expositio Sanctissimi celebrationem Missae de Requite impedire valeat, attendendum est: a) an expositio publica sit vel privata, b) an Missa celebranda sit ad altare, in quo expositum est ss. Sacramentum vel ad alia altaria.

His praemissis sequentes statuuntur regulae:

1. Expositio augustissimi Sacramenti, tam publica²⁾ quam privata³⁾, impedit celebrationem Missarum de Requite in altari expositionis toto tempore, quo expositio perdurat. Ab hac regula nulla omnino datur exceptio, neque in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum occurrente Oratione XL Horarum.⁴⁾

2. Expositio publica seu sollemnis Sanctissimi impedit celebrationem Missarum de Requite non solum in altari expositionis, sed etiam in aliis altaribus respectivae ecclesiae. Definitum est hoc quoad Missam de Requite maxime privilegiam, nempe exequiallem, quae pro-

³⁾ Cf. Eph. Lit. 1896 pag. 701. n. 8. et 1900 pag. 227. in nota.

¹⁾ S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 13. in Labacen. — ²⁾ S. R. C. 14. Jun. 1873 ad 2. n. 3302. — ³⁾ S. R. C. 7. Maji 1746 ad 4. n. 2390. — ⁴⁾ Decr. gen. 9. Jul. 1895 ad IV. n. 3864.

hibetur »ubi et donec Eucharistia solemniter exposita habeatur.«⁵⁾ Quodsi per solemnem seu publicam Sanctissimi expositionem impeditur Missa maximis privilegiis ditata, a fortiori impediuntur reliquae Missae de Requie minus privilegiatae. Exceptio ab hac regula datur solummodo⁶⁾ in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum in ecclesiis, in quibus exponitur ss. Sacramentum pro Oratione XL Horarum. Quo in casu non obstante hac expositione solemnissima ad omnia ecclesiae altaria, excepto altari expositionis, Missae celebrantur ut in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, adhibito tamen colore violaceo.⁷⁾

Ast haec expositio publica non est intelligenda ea, quae fit modo transeunti aut brevi temporis spatio causa alicujus functionis e. g. unius alteriusve Missae⁸⁾, sed expositio per longius tempus permanens adorationis causa, sive sit solemnissima pro Oratione XL Horarum⁹⁾ vel ad instar illius e. g. tempore bacchanalium aut perpetuae Adorationis, infra Octavam Corporis Christi, tempore publicae necessitatis vel in gratiarum actione pro acceptis a Deo beneficiis, sive sit minus sollemnis e. g. occasione Festi alicujus Sancti, in novemdialibus et triduanis precibus peragendis, vel ex alia occasione aut consuetudine per totum mane ad altare principale.

3. Expositio privata Sanctissimi non impedit celebrationem Missarum de Requie nisi ad altare expositionis, haud vero ad alia altaria respectivae ecclesiae, si expositio fiat ex causa privata. Si vero fiat ex causa publica et simul sit permanens, nec pro actu transeunti tantum, impedit Missas de Requie in singulis altaribus sicut publica seu sollemnis. Liquet hoc ex Decreto no-

⁵⁾ Decr. gen. 2. Dec. 1896 ad I. n. 3755. — ⁶⁾ Non datur exceptio in Exequiis aut Anniversariis personae licet maximae vel regalis dignitatis. Decr. S. R. C. 13. Mart. 1804 n. 2558 ad rem non facit, quia loquitur tantum de piis precibus publicis coram Sanctissimo in ara principe exposito fundendis pro anima defuncti regis Etruriae. Cf. Eph. Lit. 1892 pag. 634. sq. — ⁷⁾ Decr. gen. 27. Jun. (23. Jul.) 1868 n. 3177.; 9. Jul. 1895 ad IV. n. 3864. — ⁸⁾ Eph. Lit. 1892 pag. 635. n. 10.; Stappen, Sac. Liturg. tom. II. pag. 330. n. 5. — ⁹⁾ S. R. C. 19. Jun. 1875 n. 3357.

vissimo, hac in causa emanato.¹⁰⁾ Ad quaesitum enim a Congregatione ipsa formulatum: »Expositio ss. Sacramenti privata et minus sollemnis, quae fit cum pyxide intra tabernaculum, ostiolo patefacto, si sit permanens et ex causa publica, impeditne Missas de Requite?« responsum est: »Affirmative, in casu, juxta Decretum Varsavien. 7. Maji 1746 ad 4. n. 2390.« In hoc Decreto advocato autem, in quo sermo est de expositione privata cum pyxide, S. R. C. definivit: »Missae de Requite extra altare, ubi est expositum ss. Sacramentum, poterunt celebrari, dummodo tamen oratio coram Sacramento non sit ex publica causa.«

§ 3. *Penuria Sacerdotum.*

8. In ecclesiis, quibus unus tantum adscriptus est Sacerdos ideoque singulis diebus regulariter unica celebratur Missa, non raro contingere solet, ut ob functiones quasdam liturgicas neque omittendas neque differendas, Missae de Requite, alias licitae, certis diebus illicitae evadant et omitti debeant. Cujus generis dies sunt ii, quibus celebranda est Missa parochialis aut conventualis in ecclesiis respectivis, dies s. Marci et Rogationum, necnon Vigilia Paschatis et Pentecostes. Hisc ergo diebus in ecclesiis unam tantum Missam habentibus si celebranda occurrat Missa de Requite, quamvis per se licita, ob accidentale impedimentum penuriae Sacerdotum omitti debet, ut celebrari queat Missa a Rubricis praescripta. Ratio est, quia Missa parochialis cum applicatione pro populo in ecclesiis parochialibus, Missa conventualis in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et conventualibus, Missa Rogationum in ecclesiis adstrictis ad processionem, et Missa Sabbati Sancti ac Vigiliae Pentecostes in ecclesiis habentibus fontem baptismalem, omitti nequit, ideoque deficiente altero Sacerdote quaevis Missa de Requite occurrens, etiam praesente cadavere, prohibetur. Relate ad benedictionem fontis baptismalis specialiter definitum est, hanc benedictionem integram (ergo etiam Missam quae ad ritum pertinet) sicuti Sabbato Sancto

¹⁰⁾ S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 14. in Labacen.

ita in Vigilia Pentecostes esse de praecepto nec in alium diem differendam in omnibus ecclesiis legitime fontem habentibus, sive sint parochiales sive filiales, licet fideles dictis diebus ad ecclesiam accedere minime solerent.¹⁾

Ast non solum in ecclesiis unum tantum Sacerdotem habentibus, sed etiam in ecclesiis cum pluribus Sacerdotibus ob coincidentiam plurium functionum liturgicarum ex obligatione persolvendarum, quibusdam diebus impedimentum penuriae Sacerdotum exoriri potest, uti patet. Exemplum: In ecclesia parochiali, cui adscripti sunt tres Sacerdotes, Feria secunda Rogationum occurrunt quatuor Missae celebrandae, videlicet Missa exequialis in sepultura nuper defuncti, Missa pro sponsis cum benedictione nuptiarum, Anniversarium fundatum stricte sumptum et Missa Rogationum. Deficiente ergo quarto Sacerdote, in casu una ex praefatis Missis erit omittenda ob impedimentum penuriae Sacerdotum, et quidem, si Missa pro sponsis non differenda supponitur, omittenda et in alium diem amandanda erit vel Missa exequialis vel Anniversarium; Missa Rogationum enim nullo pacto omitti aut transferri potest.

Caput V.

De Orationibus in Missis de Requite.

Agemus hic de numero Orationum in Missis pro defunctis, de earum ordine aptius locuturi in articulo tertio, ubi sermo instituendus est de Missis quotidianis de Requite. Numerus Orationum definitur per Decretum S. Rituum Congregationis diei 30. Junii 1896,¹⁾ quod in Rubricam transiit et in missalibus recentioribus invenitur inter Rubricas generales tit. V. n. 3. et 4.

§ I. *Quando unica Oratio dicitur?*

9. Unica Oratio dicitur in Missis privilegiatis de Requite quibuscunque, sive fiant cum cantu sive sine cantu.

¹⁾ S. R. C. 7. Jun. 1892 n. 3776. et 13. Jan. 1899 ad 1. n. 4005.

²⁾ In Collect. auth. nov. sub n. 3920.

Lex Rubricae reformatae enim disponit: »Una tantum Oratio dicenda est in Missis omnibus, quae celebrantur in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis vel lectis, permittente ritu, diebus tertio, septimo, trigesimo et die anniversario alicujus defuncti necnon quandocunque pro defunctis Missa solemniter celebratur, nempe sub ritu, qui duplici respondet, uti in Officio, quod recitatur post acceptum nuntium de alicujus obitu, et in Anniversariis late sumptis.«

Magni momenti in hac dispositione rubricali sunt verba: »Quandocunque pro defunctis Missa solemniter celebratur, nempe sub ritu, qui duplici respondet.« Ultima verba in antiqua Rubrica desiderabantur, ideo factum est, ut verba praecedentia ab auctoribus perperam intelligerentur de Missis cum cantu tantum, exclusis Missis sine cantu. Ut ergo aperiatur sensus hujus Rubricae et sciatur, quomodo ista solemnitas intelligenda sit, ideo in nova Rubrica additum fuit: »nempe sub ritu, qui duplici respondet.« Datur enim solemnitas extrinseca et intrinseca sicuti Missarum in genere ita Missarum de Requite in specie. Illa constituitur ex pompa externa, puta ex cantu, thure et Ministris sacris; haec ex ritu, cui Missa respondet, puta ex ritu duplici, qui solemnior est semiduplici et simplici, nullo habito respectu ad externam qualitatem Missae. Hanc intrinsecam solemnitatem Missarum de Requite in casu intelligi debere, patet ex verbis apposis »nempe sub ritu qui duplici respondet«, quae verba explicant immediate praecedentia de solemnitate, quam, uti patet, repetendam esse volunt ex ritu duplici. Tunc ergo Missa de Requite vi hujus Rubricae solemniter celebrari censetur, sive sit sollemnis sive cantata sive lecta, quum respondet ritui duplici seu quum habet ritum duplicem. Hunc ritum autem habet, quotiescunque Officium defunctorum,²⁾ quocum relationem habet, sub ritu du-

²⁾ Ritum duplicem et consequenter solemnitatem Missae de Requite desumendam esse non ex ritu Officii diei currentis, sed ex ritu Officii defunctorum, cui Missa respondet, ipsa Rubrica indicat subjungendo explicationis gratia verba »uti in

plici, hoc est cum duplicatione antiphonarum recitatur vel recitaretur, si recitandum foret. Atqui Officium cum duplicatis antiphonis ex dispositione Rubricarum³⁾ recitatur in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, in die obitus seu depositionis vel in sequenti biduo, diebus tertio, septimo, trigesimo et anniversario, necnon, ex Rubrica recenti supra allata, post acceptum de obitu alicujus nuntium et in Anniversariis (non solum stricte, sed etiam) late sumptis. Quum vero praefati dies omnes et singuli sint privilegiati, dicere possumus et debemus, illas Missas de Requite, sint cantatae sint lectae, esse solemnes seu solemnibus aequivalere ideoque ex mente Rubricae unicam admittere Orationem, quae celebrantur diebus privilegiatis seu quae sunt privilegiatae.⁴⁾ De diebus privilegiatis lege numerum 13.

Oratio unica ergo dicenda est:

1. In omnibus Missis de Requite cum vel sine cantu in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, idque sine exceptione, quia Rubrica absolute dicit »in Missis omnibus«.

2. In Missa exequiali solempni et in Missis exequialibus privatis, quae occasione solempnis celebrantur sive in die depositionis defuncti sive, hac die liturgice impedita, infra biduum a depositione ob gravem causam jam facta. Vide n. 25. Item in Missis de Requite cum vel sine cantu, quae in Semiduplicibus et Simplicibus occurrentibus ab obitu usque ad depositionem vel infra dictum biduum celebrantur pro eodem defuncto.⁵⁾ Ratio est eadem ut antea, quia scilicet Rubrica loquitur de »omnibus Missis, quae celebrantur die et pro die obitus seu depositionis«.

3. In omnibus Missis de Requite cum cantu diebus tertio, septimo et trigesimo, die post acceptum de alicujus obitu nuntium et in Anniversariis stricte et

Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicujus obitu etc., quae verba ad Officium defunctorum esse referenda nemo non videt. Cf. Eph. Lit. 1898 pag. 37. et 1899 pag. 720. — ³⁾ Rub. spec. Brev. ad Off. defunct.; Ritual Rom. tit. VI. cap. 4. n. 1. et cap. 5. n. 1.; Eph. Lit. 1898 pag. 33. et 1899 pag. 98. — ⁴⁾ Cf. Eph. Lit. 1899 pag. 701. — ⁵⁾ S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 11. in Labacen.

late sumptis; in Missis vero sine cantu praefatis diebus nonnisi permittente ritu, puta in Semiduplicibus et inferioribus. Regula enim generalis est, a S. Rituum Congregatione toties inculcata, quod Missae lectae de Requie per se in Duplicibus minime permittuntur.⁶⁾ Quotiescunque ergo agitur de Missa defunctorum sine cantu dictis diebus celebranda, semper inquirendum est, utrum ritus eam permittat i. e. utrum Officium diei, in qua hujusmodi Missa facienda est, sit ritus semiduplicis aut simplicis ideoque Missa de Requie licita necne? De qua liceitate si constet, sumenda est una tantum Oratio.

§ 2. Quando plures Orationes dicuntur?

10. Plures, hoc est ad minimum tres Orationes, numero tamen semper dispari, dicuntur in Missis non privilegiatis seu quotidianis quibuscunque.

Haec regula manat ex Rubrica generali missalis tit. V. n. 4., cujus verba sunt: »In Missis quotidianis quibuscunque sive lectis sive cum cantu plures sunt dicendae Orationes.« Deinde prosequens Rubrica loquitur de tribus Orationibus et de ordine in iis servando. Denique subjungit: »Quod si in iisdem quotidianis Missis plures (quam tres) Orationes Celebranti placuerit recitare, id fieri potest tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis servato numero.«

Super qua Rubrica animadvertimus:

1. Missae quotidianae, de quibus Rubrica, sunt omnes Missae de Requie, quae dicuntur extra dies privilegiatos, quos sub numero praecedenti enumeravimus, ergo Missae de Requie non privilegiatae. Huc pertinent: a) illae Missae de Requie, quae ex dispositione Rubricae⁷⁾ prima die libera mensis et Feria secunda cujusvis hebdomadae pariter libera in ecclesiis collegialibus celebrantur; b) omnes Missae pro defunctis fundatae, quae non sunt Anniversaria neque stricte neque late

⁶⁾ S. R. C. 5. Aug. 1662 n. 1238., n. 1333. ad 3. et 24. Jul. 1683 ad 2. n. 1714. — ⁷⁾ Rub. gen. miss. tit. V. n. 1. 2.

sumpta seu quae sunt fundatae sine praefixione dierum;
c) omnes Missae pro defunctis non fundatae, quae celebrantur diebus non privilegiatis ex pietate ipsius Sacerdotis vel ex petitione fidelium.

2. In praefatis Missis dicuntur ad minimum tres Orationes et quidem, si celebrentur cum cantu, non plures quam tres, si vero fiant sine cantu, pro lubitu etiam plures usque ad septem, et sumuntur ex Orationibus diversis, quae in missali assignantur post Missas de Requie, servato, quantum fieri potest, ordine missalis.

3. In Missis lectis, in quibus plures quam tres Orationes dicuntur, necessario servari debet numeri imparitas, ita scilicet, ut, Orationibus praescriptis et pro lubitu additis simul numeratis, appareat numerus impar. Sed bene notandum, hanc imparitatem servandam esse nonnisi tunc, quando agitur de Orationibus ex devotione ipsius Celebrantis addendis, sic dictis votivis; si vero aliunde e. g. ex Oratione imperata dicenda turbaretur numeri imparitas, Celebrans non tenetur ad aliam Orationem addendam, ut numerus impar fiat; et si nihilominus addere velit aliquas Orationes pro sua devotione, adjungat eas post imperatam tertio loco positam et servet numeri imparitatem, Orationi *Fidelium* semper postremo loco assignato.

§ 3. De Oratione pro vivis in Missis de Requie.

II. Potestne in Missis de Requie dici Oratio pro vivis et in Missis pro vivis Oratio pro defunctis?

Casus prior posset accidere, si e. g. Oratio imperata esset pro aliqua necessitate. Sed obstat Rubrica¹⁾ disponens: »In Missis defunctorum nulla fit Commemoratio pro vivis, etiamsi Oratio esset communis pro vivis et defunctis«, veluti Oratio *Omnipotens semperterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum etc.* Rationem allegat Gavantus²⁾, qui »aequum est«, inquit, »in Missis defunctorum solis defunc-

¹⁾ Rub. gen. miss. tit. VII. n. 6. — ²⁾ Thesaur. sacr. Rit. pars 1. tit. 7. Rub. 6.

tis operam dare, exclusis vivis in Collectis, quibus in primo *Memento* secrete satis superque est provisum etiam in Missa de defunctis.“ Collectae tamen pro defunctis admittuntur in Missis pro vivis, sed in Missis tantum Festorum simplicium et in ferialibus³⁾, et tunc semper ponitur penultimo loco.⁴⁾ Vide articulum tertium caput sextum.

Caput VI.

De Sequentia in Missis de Requite.

12. Si quaeritur, utrum in Missis de Requite Sequentia seu Prosa *Dies irae* dici debeat necne, consulendum est Decretum generale S. Rituum Congregationis diei 30. Junii 1896 ad IV.¹⁾, ad cuius normam Rubrica generalis missalis tit. V. n. 5. reformata est. Verba Decreti sunt: »Quod denique ad Sequentiam attinet, semper illam esse dicendam in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis, quae diebus ut supra privilegiatis fiunt; in reliquis vel recitari posse vel omitti ad libitum Celebrantis juxta Rubricas.« Ex qua dispositione sequens enascitur regula generalis:

Sequentia *Dies irae* est de praecepto in Missis de Requite cantatis et privilegiatis quibuscunque, in reliquis est ad libitum.

Sequentia ergo dici debet:

1. In omnibus Missis de Requite cum cantu²⁾, sive sint solemnes sive simpliciter cantatae, sive diebus privilegiatis celebrentur sive in aliis non privilegiatis, sive dicatur una Oratio sive tres.

2. In omnibus Missis de Requite privilegiatis idque non solum in cantatis, uti supra, sed etiam in lectis, dummodo sint vere privilegiatae i. e. celebratae diebus privilegiatis ideoque jus habeant unius Orationis. Quoniam Missae sint privilegiatae, patebit ex numero sequenti.

³⁾ S. R. C. 31. Jul. 1665 ad 8. n. 1322. — ⁴⁾ Rub. gen. miss. l. c.

¹⁾ In Collect. auth. nov. sub n. 3920. — ²⁾ S. R. C. 21. Maji 1897. n. 3956.

Sequentia dici potest:

In reliquis Missis i. e. in iis, quae non recensentur sub n. 1. et 2. immediate praecedenti, videlicet in Missis de Requie quotidianis lectis, in quibus saltem tres dicuntur Orationes.

Ex dictis patet, non dari casum, in quo Sequentia necessario debeat omitti.

Articulus secundus.

De Missis privilegiatis Defunctorum.

Caput I.

De Missis privilegiatis Defunctorum in genere.

13. Missae pro defunctis sunt vel privilegiatae vel non privilegiatae seu quotidianae. Missae privilegiatae pro defunctis illae Missae de Requie dicuntur, quae celebrantur diebus privilegiatis i. e. diebus, quos pia Mater Ecclesia in favorem defunctorum certis privilegiis seu praerogativis quoad Missae celebrationem decoravit.

Juxta Decreta et Rubricas dies privilegiati pro defunctis sunt: *a)* dies Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, *b)* dies obitus seu depositionis, *c)* dies, quo fit Missa post acceptum nuntium obitus alicujus, *d)* dies tertius, septimus, trigesimus post mortem vel sepulturam, *e)* dies Anniversarii tam stricte quam late sumpti. Hisce ergo diebus celebratae Missae de Requie sunt privilegiatae.

Privilegia, quibus hae Missae prae aliis non privilegiatis gaudent, generaliter loquendo, sunt: *a)* minor numerus dierum impediendum, *b)* jus translationis in casu impedimenti, *c)* solemnitas intrinseca cum jure unius Orationis. Attamen non omnibus et singulis Missis privilegiatis omnia privilegia recensita eodemque modo competunt; dantur enim Missae de Requie plus minusve privilegiatae, sicut ex dicendis suo loco patebit.

Commune omnibus his Missis earumque praecipuum privilegium est solemnitas, quae iis inest et ob quam dies, in quibus celebrantur ipsaeque Missae vocantur solemnes, ut distinguantur a reliquis diebus et Missis de Requie non solemnibus seu quotidianis. Sed jam supra sub n. 9. monuimus, hanc solemnitatem non esse sitam in pompa exteriori, qua Missa celebratur, sed in ritu duplici¹⁾, quo Officium defunctorum recitari deberet, si conjunctim cum Missa recitaretur, licet revera non recitetur. Hoc ritu deficiente, deficit et Missae solemnitas. Unde sequitur, etiam Missas lectas esse solemnes in sensu exposito, si sint ritus duplicis, econtra Missas cantatas cum vel sine Ministris sacris censi quotidianas, si ritus duplicis non sint. Nota et quodammodo effectus ritus duplicis respectu Officii autem est, ut ex dispositione Rubricae Breviarii²⁾ et Ritualis Romani³⁾ dicatur cum duplicatione antiphonarum, respectu Missae vero, ut ex dispositione Rubricae generalis missalis⁴⁾ in Missa hujusmodi unica tantum dicatur Oratio. Quapropter tria Missarum de Requie formularia in fine missalis posita, primo, secundo et tertio loco, quae respondent hisce Missis solemnibus seu privilegiatis, revera prostant cum unica Oratione.

Ex dictis etiam liquet, quod ritus Officii defunctorum et consequenter ritus Missae de Requie non sequitur necessario ritum diei. Hic enim potest esse semiduplex, sed ritus Officii defunctorum eique respondentis Missae de Requie debet esse duplex et vice versa.

Caput II.

De Missis in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum et per ejus Octavam.

14.—1. Inter Missas privilegiatas pro defunctis primum locum tenent Missae in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum die 2. Novembris. Pro his

¹⁾ Decr. gen. 30 Jun. 1896 ad 1. n. 3920. — ²⁾ Rub. spec. ante 1. Noct Off. Defunct. — ³⁾ Tit. VI. Cap. 4. n. 1. — ⁴⁾ Tit. IX. n. 1.

Missis proprium habetur formulare in missali, nempe primum ex quatuor ibi assignatis.

In ecclesiis choro non obligatis hac die omnes Missae celebrandae sunt de Requie, etiamsi Officium fiat de Festo duplici, omnesque esse possunt lectae.¹⁾ In ecclesiis ad chorum adstrictis autem binae cantantur Missae conventuales, una de die post Tertiam, altera de Commemoratione omnium Fidelium defunctorum post Nonam²⁾, reliquae omnes dicuntur de Requie. Occurrente tamen Oratione Quadraginta Horarum cum expositione solemni ss. Sacramenti, in altari expositionis celebratur Missa votiva de ss. Sacramento in colore albo, reliquae vero Missae sint de Requie, ad altare expositionis non dicantur et celebrentur in colore violaceo.³⁾

Hac die Missae applicari possunt ad libitum⁴⁾ Celebrantis, pro omnibus defunctis vel pro aliquibus vel aliquo tantum, semper tamen dicenda est unica⁵⁾ Oratio *Fidelium*, et omnes a quocunque Sacerdote ad quodcunque altare celebratae, gaudent privilegio.⁶⁾

2. Si haec Commemoratio quotannis coincidat cum die Octava Dedicationis ecclesiae, in ecclesiis collegialibus duae dicendae sunt Missae conventuales, una de Octava, altera de Requie; Missae vero privatae omnes sint de Requie. Quando vero dies octava incidat in Dominica, omnes Missae esse debent de die Octava, quum Commemoratio omnium Fidelium defunctorum transferatur in diem sequentem.⁷⁾

Quando die 2. Novembris occurrat Dominica vel Festum aliquod cum feriatione aut Duplex primae classis, quamvis sine feriatione, Commemoratio omnium Fidelium defunctorum transfertur in sequentem diem tertiam ejusdem mensis similiter non impeditam.⁸⁾

Si dicta Commemoratio transferenda sit in diem 3. Novembris et in aliqua ecclesia eadem die Festum

¹⁾ S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 5. in Labacen. — ²⁾ Rub. spec. missal. hac die. — ³⁾ Decr. gen. 27. Jun. (23. Jul.) 1868 n. 3177. et 9. Jul. 1895 ad 4. n. 3864. — ⁴⁾ S. R. C. 4. Aug. 1663 ad 9. n. 1275. — ⁵⁾ Decr. gen. 30. Jun. 1896 ad 1. n. 3920 — ⁶⁾ S. C. Indulg. 19. Maji 1761 n. 228. — ⁷⁾ S. R. C. 27. Sept. 1698 n. 2014. — ⁸⁾ Decr. gen. 9. Jul. 1895 ad 2. n. 3864.

duplex secundae classis occurrat, hoc Festum transfertur in primam diem liberam juxta Rubricas. De die vero octava, aut de Festo duplici majori, minori vel semiduplici occurrentibus, sicut de alio Festo translato, cui in Calendario locus pro eo anno non suppetat, in praefata Commemoratione generali defunctorum Officium fiat, sed Missae omnes, sola, ubi dicenda est, conventuali excepta, sint de Requite.⁹⁾

Officium Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, etiam translatae, pridie post Completorium anticipari potest a recitantibus non solum privatim sed etiam publice in choro¹⁰⁾ Ceterum in die translata omnia peragenda sunt sicuti in die propria 2. Novembris.

3. Si in eandem diem incidat alicujus obitus seu depositio, distinguendus est triplex casus: *a)* in ecclesiis non collegiatis cum pluribus tamen Sacerdotibus, Missa unica exequalis pro defuncto cantetur ut in die obitus seu depositionis, reliquae vero Missae, quamvis pro defuncto celebratae, dicantur de die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum¹¹⁾; *b)* in ecclesiis ad chorum adstrictis idem servetur, additis tamen duabus Missis conventualibus in cantu, una de die post Tertiam, altera de Commemoratione omnium Fidelium defunctorum post Nonam¹²⁾; *c)* in ecclesiis vero unam tantum Missam habentibus sumatur Missa ut in die obitus¹³⁾ cum Oratione conveniente et cum applicatione pro respectivo defuncto.

4. Sacerdotibus omnibus in Hispaniarum et Portugalliae regnis et dominiis actu commorantibus tam saecularibus quam regularibus facultatem celebrandi in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum tres Missas de Requite Benedictus XIV. benigne concessit¹⁴⁾, sub his conditionibus: *a)* ut secundam et

⁹⁾ Ibid. ad 3. — ¹⁰⁾ Ibid. ad 1. et 2. — ¹¹⁾ Cf. S. R. C. 28. Apr. 1902. ad 5. in Labacen. — ¹²⁾ S. R. C. 14. Apr. 1646 ad 4. n. 893; 20. Sept. 1687 n. 1788.; 9. Jul. 1895 ad 5. n. 3864. — ¹³⁾ S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 6. in Labacen. — ¹⁴⁾ Litt. Apost. diei 21. Aug. 1748. Videsis Benedicti XIV. De sacrosancto Missae sacrific. Append. IV. ad lib. III. Simile privilegium concessit Benedictus XIII. die 26. Aug. 1728 regno Brasiliae et Leo XIII. die 18. Apr. 1897 Americae Latinae. Sine Indulto apostolico hac die tres Missas celebrare non licet, non obstante quacunque consuetudine. S. R. C. 11. Jan. 1676 n. 1554. et 26. Nov. 1678 n. 1617.

tertiam Missam in suffragium omnium Fidelium defunctorum, non alicujus peculiaris defuncti tantum, applicent; b) ut pro hisce duabus Missis nullam prorsus accipiant eleemosynam, sed pro prima dumtaxat, quae eleemosyna quantitatem a lege particulari aut consuetudine loci praefinitam nullatenus excedat.

Sumitur pro prima Missa primum formulare ut in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum; pro secunda tertium ut in Anniversario, in Orationibus tamen omissis verbis *quorum anniversarium . . . commemoramus* vel *quorum hodie annua dies agitur*; pro tertia quartum ut in Missis quotidianis cum Oratione *Deus veniae largitor*. Preces a Leone XIII. praescriptae post Missas privatas recitandae, dicuntur, si Missae de Requie consecutive celebrantur, post ultimam Missam, secus post unamquamque, qua finita ab altari receditur.¹⁵⁾

Qui unam tantum Missam celebrare voluerit, sumat primam Missam sive applicet pro uno sive pro pluribus, qui vero duas celebraverit pro prima sumat formulare primum, pro secunda ad libitum.¹⁶⁾ Qui Missam conventualem de Octava omnium Sanctorum die 2. Novembris celebrat, potest duas alias Missas de Requie celebrare, observando ordinem Missarum, ita ut primo loco adhibeat Missam, quae juxta Indultum dicenda est prima, nempe de Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, deinde eam, quae secundo loco legenda est, videlicet ut in Anniversario.¹⁷⁾

15. Infra Octavam Commemorationis omnium Fidelium defunctorum ex speciali gratia permittuntur Missae de Requie, sic dicta Anniversaria late sumpta. Vide n. 48. Celebrari possunt quotidie infra dictam Octavam, etiam in Festis duplicibus minoribus. Prohibentur in Dominica et in Festis duplicibus majoribus, primae et secundae classis.¹⁸⁾ Debent esse in cantu in Duplicibus, possunt esse lectae in Semidupli-

¹⁵⁾ S. R. C. 10. Maji 1895 ad 7. n. 3855. — ¹⁶⁾ S. R. C. 13. Febr. 1892 ad 27. n. 3767. — ¹⁷⁾ S. R. C. 11. Aug. 1888 ad 2. n. 3692. — ¹⁸⁾ Decr. gen. 2. Dec. 1891 ad V. n. 3753.

cibus et Simplicibus.¹⁹⁾ Quoad Missae formulare pro diversitate personarum defunctorum lege caput de Anniversariis late sumptis n. 50.

Caput III.

De Missis in die vel pro die obitus seu depositionis in genere.

16.—1. Dies obitus proprie est dies mortis, quo quis vita fungitur; dies depositionis autem dies sepulturae, quo corpus inanime terrae mandatur. Antiquitus dies depositionis semper fere idem erat ac obitus; statim enim cadaver in catacumbas efferebatur et deponabatur. Unde factum est, ut Missa, quae occasione depositionis alicujus celebrabatur, revera celebraretur die obitus seu depositionis, quia unus idemque erat dies. Ideo titulus Missae, quae tali die celebratur, in missali inscribitur »In die obitus seu depositionis Defuncti« et in Collecta Sacerdos orat pro anima, *quam hodie de hoc saeculo migrare jussisti*, et in Postcommunione pro anima, *quae hodie de hoc saeculo migravit*.

2. Licet vero in temporis decursu defuncti cadaver plus minusve insepultum maneret, sive ob populi concursum sive pro ipso aromatibus condiendo sive ad commodius pompas funebres ordinandas, semper tamen totum temporis spatium plus minusve prolixum, quod a morte ad sepulturam intercessit, cum omnibus diebus intermediis, veluti unus idemque dies in favorem defuncti considerabatur. Quod palam fit ex variis Decretis¹⁾ tam antiquioribus quam recentioribus, in quibus declaratur, diem anniversarium pro defunctis sicuti dies tertium, septimum et trigesimum tam a die obitus, quam a die depositionis computari posse. Ab Ecclesia ergo dies isti, mortis scilicet et sepulturae, confunduntur et pro iisdem accipiuntur, non quasi hi dies non sint distincti et diversi, sed quia mortis dies censetur moraliter perseverare usque ad sepulturam.

¹⁹⁾ Cf. Decr. gen. 30. Jun. 1896 ad 1. n. 3920.

¹⁾ S. R. C. 23. Aug. 1766 ad 2. n. 2482. et 2. Dec. 1891 ad 4. n. 3753.

Ideoque hi termini promiscue adhibentur, ad quod bene attendendum est, ne Decreta quaedam perperam intelligantur falseque interpretentur.

3. Tandem spatium istud magis adhuc ampliatum est, nempe usque ad absolutum post depositionem biduum. Statuitur hoc in novo jure liturgico in gratiam defunctorum, ne eorum animae suffragiis priventur, quando ob civile vetitum, morbum contagiosum vel ex alia causa gravi²⁾ Missa praesente cadavere celebrari nequit. Datur igitur quaedam moralis extensio diei obitus seu depositionis per duos sequentes dies, in quorum alterutro Missa celebrata iisdem gaudet privilegiis ac in ipso obitus seu depositionis die, et haec Missa nuncupatur pro die obitus³⁾ seu depositionis, quia celebratur die, quae vere stat pro dicto obitus seu depositionis die, in quo ex causa gravi celebrari nequibat. In hoc sensu strictiori haec dies passim occurrit in Rubricis et Decretis. Ex eadem ratione, in sensu tamen latiori, etiam Missa exequialis translata et Missa post acceptum nuntium de alicujus morte vocari potest Missa pro die obitus seu depositionis, utpote quae non in ipsa die mortis vel sepulturae, sed loco hujus in alia die libera celebratur.

Ex dictis igitur patet, Missam in die obitus seu depositionis esse Missam de Requie, quae pro aliquo defuncto occasione sepulturae ejus celebratur; Missam pro die obitus seu depositionis autem, et quidem in sensu strictiori, Missam de Requie, quae pro defuncto infra biduum a sepultura, in sensu latiori vero, quae in die translata depositionis vel post acceptum de alicujus obitu nuntium offertur. In subsequentibus capitibus de singulis harum Missarum speciebus sermo instituendus est.

Caput IV.

De Missa exequiali solemni.

17. In die vel pro die obitus seu depositionis celebratur Missa exequialis. Nomen accepit ab Exequiis,

²⁾ S. R. C. 13. Febr. 1892 ad 26. n. 3767. et Decr. gen. 2. Dec. 1891 ad 2. n. 3755. — ³⁾ A nonnullis Liturgistis vocatur etiam dies quasi-obitus. Eph. Lit. 1899 pag. 701.

quibus intelliguntur omnes illi actus liturgici, qui ex praescriptione Ritualis Romani (tit. VI.) pro aliquo defuncto ante sepulturam, tempore ipsius sepulturae vel paulo post circa cadaver vel castrum doloris peraguntur. Comprehendunt itaque Exequiae: Processionem ad deferendum corpus e domo defuncti in ecclesiam, Officium defunctorum, Absolutionem, Sepulturam ac imprimis Missae sacrificium. Quae ergo in Exequiis celebratur, Missa exequialis vocatur.

Stricte loquendo ritus exequialis unam tantum eamque solemnem vel cantatam Missam de Requie admittit, quae ideo nuncupatur Missa exequialis solennis vel Missa exequialis κατ' ἐξοχήν, multisque gaudet privilegiis. De hac Missa nunc nobis disserendum est.

§ 1. *Regulae generales circa Missam exequialem solemnem.*

13.—1. Ecclesia in votis magnopere habet, ut pro modo defuncto Missa exequialis de Requie celebretur ante sepulturam, physice praesente ejus corpore.

Inde a primordiis Ecclesiae morem viguisse, praesente corpore Missam in defuncti levamen celebrandi, antiquitatis testantur monumenta, quibus edocemur: »Sacrificium pro dormitione«, uti haec Missa appellabatur¹⁾, in catacumbis offerri consuevisse in cubiculis sepulcralibus, dum adhuc cadaver jacebat in feretro prope loculum sive arcosolium, in quo deponendum erat.²⁾ Quapropter jure merito monet Rituale Romanum tit. VI. cap. 1. n. 4: »Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri potest, retineatur, ut Missa praesente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur.« Hanc Missam praesente corpore nullo die, quantumvis solenni, olim prohibitam

¹⁾ S. Cyprianus in Ep. 66. ad Clerum. — ²⁾ S. Augustinus de Exequiis matris suae Monicae loquens »Quum offerretur, inquit, pro ea sacrificium pretii nostri juxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi.« Confess. lib. IX. cap. 12. Cf. Eph. Lit. 1900 pag. 271. sq.

fuisse, confirmant antiquissimi codices liturgici. In codice Cassinensi et Cluniacensi praecipitur: »Omni tempore sepeliendus frater post majorem Missam. Si in ipsa nocte Resurrectionis Dominicae vel ipsius diei crepusculo obierit, quo scilicet oporteat eum ipso die sepeliri, matutinalis Missa pro eo cantabitur. Nam tanta est auctoritas praesentiae ipsius defuncti, ut etiam in tanta solemnitate hujusmodi Missa non possit sine negligentia intermitti.«³⁾ Exploratum itaque est, piam Matrem Ecclesiam summopere desiderare, ut pro filiorum suorum aeterna salute Missa celebretur antequam eorum corpora sepulturae tradantur.

2. Si corpus defuncti ex quacunque causa gravi physice praesens esse nequit, sufficit praesentia ejus moralis, ut Missa exequialis celebrari possit cum iisdem privilegiis ac Missa physice praesente cadavere.

Praesentia physica tunc habetur, quando cadaver realiter in ecclesia adest tempore Missae exequialis. Si vero cadaver ob quamcunque causam gravem non sit realiter seu materialiter praesens, sed absens, sive insepultum sive, dummodo non ultra biduum, jam terrae mandatum, censetur praesentia moralis. Hujusmodi causae graves in Decretis expresse referuntur duae, nimirum *a)* civile vetitum seu interdictum civilis potestatis, ne defunctorum corpora in ecclesiam deferantur, *b)* morbus contagiosus, ob quem, hygienis tuendae gratia, cadavera ab ecclesiis arcentur. Sed obstare possunt aliae quoque causae graves, lege id concedente.⁴⁾ Non raro ipsum impedimentum liturgicum causam praebet praesentiae moralis, quatenus quibusdam diebus Missam exequialem celebrare non licet ideoque cadaver sine Missa sepeliri debet, quamvis etiam in hoc casu fere semper adest haec vel illa causa in Decretis allegata, quia cadaver non ad libitum sepeliri potest, sed statuto tempore vel ex lege civili vel ob corruptionis periculum. Quum ergo in hisce casibus cadaver physice praesens esse nequeat, etsi per se jus habeat ad praesen-

³⁾ Apud Matèrne, De antiqu. monachor. ritib. Lib. V. cap. 10. n. 16. — ⁴⁾ Decr. gen. 2. Dec. 1891 ad 2. n. 3755.

tiam, censetur moraliter praesens, sed per duos tantum dies immediate sequentes post sepulturam et non ultra, sicut ex sequentibus patebit. Cadavere igitur moraliter praesente, Missa exequialis celebrari licite valet toties quoties⁵⁾ praesente cadavere permittitur eodemque prorsus modo⁶⁾ ac si esset physice praesens. Moralis enim praesentia pro physica ad amussim sufficitur. Exemplum: Fabii corpore ob justam causam Sabbato Sancto sepulto, Missa exequialis pro eo permittitur Feria secunda post Dominicam Resurrectionis eodem modo ac si fieret cadavere praesente.

3. Temporis spatium, infra quod Missa exequialis permittitur, incipit ab instante mortis et extenditur, si defunctus ex gravi causa jam fuerit sepultus, usque ad expletum post sepulturam biduum.

Si corpus defuncti physice adesse potest, ejus praesentia realis necessario requiritur ad licite celebrandam Missam exequialem, cujus igitur in casu post sepulturam locus amplius non est. Si vero agitur de defuncto moraliter tantum praesente, nil refert, sit corpus jam sepultum sit adhuc insepultum; tunc enim in priori casu pro celebratione Missae exequialis conceditur biduum a sepultura seu depositione⁷⁾, quo biduo elapso Missaque exequiali neglecta, haec amplius non permittitur.

Sed biduum istud, a quo die incipit? a die sepulturae, an, abstrahendo ab eo, a die sequenti? Sine controversia: a die sepulturae sequenti. Clara est enim dispositio legis: »Praefata Missa (sc. exequialis) celebrari poterit in altero ex immediatae sequentibus duobus ab obitu diebus.«⁸⁾ Insuper si biduum computandum esset a die sepulturae inclusive, non esset biduum,

⁵⁾ S. R. C. 13. Febr. 1892 ad 26. n. 3767. — ⁶⁾ Decr. gen. n. 3755. ad 2. — ⁷⁾ In Decreto S. R. C. n. 3755. dicitur »duobus ab obitu diebus« et in alio Decreto n. 3767 »biduum ab obitu.« Quod non mirandum, quum juxta dicta n. 16. ad 2. dies obitus et depositionis sumatur pro uno eodemque die. Diem sepulturae pone pro die obitus et omnis difficultas evanescet. Eph. Lit. 1899 pag. 613. sq. et 1897 pag. 350. sq. — ⁸⁾ Decr. gen. n. 3755. ad 2. Obitus = depositio, sepultura. Vide notam antecedentem.

sed unus tantum ab obitu i. e. sepultura dies, quod esset contra litteram et spiritum Decreti. Ex dictis etiam liquet, non requiri, ut Missa exequialis in altero bidui die eadem hora celebretur, qua ante duos dies facta est sepultura. Exemplum: Si defunctus Fabius tumultatus fuerit hora septima Feriae secundae, hora decima Feriae quartae bene Missa exequialis haberi poterit. Ratio est, quia in casu Missa vere intra biduum vel in altere ex immediate sequentibus duobus diebus celebratur.

Si alterutra ex bidui diebus sit liturgice impedita, non licet hac exclusa diem aliam subsequentem liberam addere ad constituendum biduum, ut Missa exequialis celebrari possit, quia juxta allegata verba Decreti biduum constituitur ex immediate sequentibus duobus diebus. In casu ergo Missa exequialis celebrari debet in die bidui libera, secus amittit privilegia.⁹⁾ Si nec intra biduum datur dies libera, Missa exequialis transferri potest. Vide n. 21.

4. Unica tantum Missa exequialis sollemnis vel cantata pro eodem defuncto licita est privilegiisque ornata in favorem defuncti.

Constat hoc ex Rituali Romano tit. VI. cap. 3. n. 6. et ex variis S. Rituum Congregationis Decretis¹⁰⁾, in quibus nonnisi de una Missa stricte exequiali eaque sollemni vel cantata sermo est. In specie quoad Missam exequialem physice praesente cadavere definitum est, „Missam unam solemnem vel cum cantu in die et pro die obitus praesente cadavere fieri posse.“¹¹⁾ Relate ad Missam exequialem moraliter praesente cadavere autem valet, quod »Missa exequialis in casu cantari licite valeat quoties (physice) praesente cadavere permittitur¹²⁾ i. e. unica tantum vice pro eodem defuncto, et »eodem prorsus modo ac si cadaver esset praesens«¹³⁾ i. e. solemniter vel saltem cum cantu.

⁹⁾ Eph. Lit. 1897 pag. 349. sq. et 1900 pag. 166. — ¹⁰⁾ S. R. C. 23. Maj. 1846 ad 11. n. 2915.; 22. Mart. 1862 ad 1. n. 3112. — ¹¹⁾ Decr. gen. n. 3755. ad 1. — ¹²⁾ S. R. C. 13. Febr. 1892 ad 26. n. 3767. — ¹³⁾ Decr. gen. n. 3755. ad 2.

Excipitur quoad cantum unicus casus verae paupertatis defuncti vel haeredum, ex qua solvere pro Missa cum cantu non valerent expensas, quo in casu permittitur Missa exequialis lecta loco Missae cum cantu.¹⁴⁾

Quod hucusque respectu numeri Missarum probavimus ex lege, idem abunde patet etiam ex rei natura. Non enim in pluribus ecclesiis Exequiae proprie tales peraguntur pro eodem defuncto, quum cadaver non in plures ecclesias sed in unam tantum deferri debeat, ideoque in una tantum ecclesia, non in pluribus, Missa coram cadavere physice vel moraliter praesente fieri possit. Neque in eadem ecclesia plures Missae exequiales cum cantu conceduntur in Duplicibus: non eodem die, quia ritus exequialis, stricte loquendo, nonnisi unicam admittit Missam¹⁵⁾, post quam fit Absolutio, eo minus diversis diebus, quum defunctus pluries sepeliri nequeat. Illicitae ergo sunt Missae exequiales alia in die obitus alia in die depositionis ejusdem defuncti, sive dies considerentur tamquam dies distincti sive tamquam dies unus idemque in sensu liturgico, juxta dicta n. 16.

Dicta intelligenda sunt de Missa proprie et stricte dicta exequiali, ex privilegio celebranda in Duplici. Permittente autem ritu, occurrente videlicet Officio ritus semiduplicis vel simplicis in die depositionis vel toto tempore ab obitu usque ad depositionem, imo dictis (reg. gen. 2. et 3.) sub conditionibus etiam in biduo post depositionem, nil obstat, quominus plures Missae de Requie cum cantu celebrentur pro eodem defuncto cum eodem formulari Missae exequialis et cum eadem unica Oratione.¹⁶⁾ Ratio est, quia, quum ex lege generali hujusmodi ritus plures admittat Missas de Requie cum vel sine cantu, nil profecto prohibet, quominus hae Missae de Requie applicentur pro defuncto, cujus funus agitur. Nihilominus unica tantum est Missa proprie exequialis privilegiata.

¹⁴⁾ Decr. 9. Maji (12. Jun.) 1899 n. 4024. — ¹⁵⁾ Cf. S. R. C. 23. Maji 1846 ad 11. n. 2915. — ¹⁶⁾ Decr. gen. 30. Jun. 1896 ad 1. n. 3920.

Quod docuimus de Missa exequiali in die propria, hoc valet etiam de Missa exequiali translata; etiam in casu translationis una dumtaxat eaque solemnis vel cantata Missa de Requite permittitur¹⁷⁾ pro eodem defuncto. Vide n. 21.

§ 2. *Privilegia Missae exequialis solemnis.*

19. Quatenam sunt privilegia Missae exequialis solemnis?

1. Privilegium unius Orationis tam in die propria quam translata.¹⁾ Semper enim celebratur sub ritu, qui duplici respondet, nempe cum unica Oratione. Recole dicta n. 9. et 13.

2. Privilegium rarissimi impedimenti. Potest enim celebrari praeterquam in Semiduplicibus et Simplicibus etiam: *a)* in Festis duplicibus minoribus et majoribus nec non diebus aequivalentibus; *b)* in Festis duplicibus secundae classis, licet de praecepto recolendis; imo *c)* in Festis duplicibus primae classis non solemnioribus, qualia sunt Festum ss. Cordis Jesu²⁾ necnon Feria secunda et tertia Paschatis et Pentecostes³⁾; *d)* in Dominicis etiam majoribus imo et primae classis, nisi impediatur Missa parochialis sub conditione sub numero sequenti ad 4. allata; *e)* in Feriis privilegiatis, nempe quarta Cinerum et secunda, tertia, quarta hebdomadae majoris; *f)* infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi; *g)* in Vigiliis etiam privilegiatis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Pentecostes; sed in hac ultima sub clausulis n. 8. expositis.

3. Privilegium translationis, ita ut in casu legitimi impedimenti possit amandari in aliam diem proximam non impeditam.

¹⁷⁾ Decr. gen. n. 3755. ad 3.

¹⁾ Rub. gen. miss. tit. V. n. 3., Decr. gen. supracit. n. 3920. ad 1. — ²⁾ Hoc Festum, licet sit 1. classis, non recensetur in elencho Festorum solemniorum. — ³⁾ Hae Feriae, licet sint Festa 1. classis, expresse excipiuntur in Decreto gen. 2. Dec. 1891 ad 1. n. 3755

20. Quibus diebus impeditur Missa exequialis solemnī?

Ex dispositione Decreti generalis S. R. C. diei 2. Dec 1891⁴⁾ eam impediunt:

1. Festa duplicia primae classis solemniora sive universalis Ecclesiae sive Ecclesiarum particularium⁵⁾ ex praecepto Rubricarum recolenda. Haec Festa enumerantur in catalogo Festorum, qui in Breviario recentioris editionis invenitur post Rubricas generales, et sunt: Nativitas et Epiphania Domini, Pascha, Ascensio Domini, Pentecostes, Corporis Christi, Immaculata Conceptio, Annuntiatio et Assumptio B. M. V., Nativitas s. Joannis Baptistae, Festum s. Joseph, Sponsi B. M. V., ss. Apostolorum Petri et Pauli, omnium Sanctorum, Dedicatio propriae ecclesiae, Titulus ecclesiae, Patronus principalis regionis, dioecesis et loci.

2. Ultimum triduum majoris hebdomadae, nempe Coena Domini, Parasceve, Sabbatum Sanctum.

3. Dominica, in quam solemnitas Festi Missam exequialem excludentis infra hebdomadam occurrentis alicubi ex Indulto transfertur, modo celebretur a populo.⁶⁾ Non impedit vero Missam exequialem in hoc casu dies, in qua agitur quidem Officium Festi, non autem ejusdem solemnitas, quae translata est.⁷⁾ Si vero agatur de Festis suppressis, licet primae classis, quorum solemnitas non transfertur in Dominicam, Missa exequialis his Festis impeditur, licet Festum non recolatur a populo.⁸⁾ Festa hujusmodi sunt s. Joannis

⁴⁾ In Collect. auth. nov. sub. n. 3755. — ⁵⁾ Intelligenda sunt Festa localia solemniora, a Rubricis praescripta, etsi a populo non recolantur cum feriatiōe, e. g. Titulus ecclesiae; non autem Festa localia, a populo quidem feriata, a Rubricis vero non praescripta. S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 9. in Labacen. — ⁶⁾ In quibusdam regionibus (Gallia, Belgia etc.) ex iniquitate legum civilium vetatur feriatio ex parte populi Festorum Epiphaniae, Corporis Christi, ss. Apostolorum Petri et Pauli, Immaculatae Conceptionis et Patroni loci. Quorum Festorum memoria ne penitus obliteretur in populo, ex Indulto apostolico eorum solemnitas pro populo transfertur in Dominicam sequentem vel, ea impedita, in Dominicam antecedentem, ita ut Festum pro choro celebretur in ipsa die, pro foro autem in dicta Dominica. — ⁷⁾ S. R. C. 6. Mart. 1896 Dub. I. ad 1. n. 3890; 16. Nov. 1898 Quaest. I. ad 1. n. 4003. — ⁸⁾ S. R. C. n. 4003. Quaest. I. ad 2.

Baptistae, Titularis ecclesiae, Annuntiationis B. M. V. et s. Joseph ejus Sponsi, quae, licet sint ritus primae classis, minime tamen ubique sunt de praecepto.

4. Dies; quibus celebranda est Missa parochialis aut conventualis in ecclesiis ad has Missas obligatis, dies s. Marci ac Rogationum et Vigilia Pentecostes⁹⁾, sub conditione, quod unicus adsit Sacerdos. Recole n. 8.

5. Dies, quibus fit sollemnis expositio ss. Eucharistiae vel privata ex causa publica. Relege n. 7.

21. Quid est faciendum in casu impediti?

Si Missa exequialis in die depositionis defuncti sit impedita ex quacunque rationabili causa, celebrari potest, uti supra (n. 18. ad 3) diximus, biduo sequenti. Si nec infra biduum fieri possit ob impedimentum liturgicum, tunc »celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum die, quae prima occurrat non impedita a Festo duplici primae et secundae classis vel a Festo de praecepto, quo etiam in casu Missa dicenda erit ut in die obitus.«¹⁰⁾ Dictis Festis impredientibus ex alio Decreto accenseri debent etiam dies excludentes Festa primae et secundae classis.¹¹⁾

In casu ergo haec observanda sunt: *a)* ut celebretur Missa unica, non plures, quia in Decreto expresse conceditur pro prima tantum vice post obitum; *b)* ut haec unica Missa celebretur prima die libera post biduum, nempe die quae prima occurrat; *c)* ut dies libera in casu intelligatur dies non impedita a Festo duplici primae et secundae classis, a Festo de praecepto, quo nomine veniunt etiam Dominicae juxta dicta n. 6., vel ab Officio Festa primae et secundae classis respuente, nempe a Feria quarta Cinerum et a Feriis hebdomadae majoris, a Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, a diebus infra Octavas Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes et a die Octava Corporis Christi; *d)* ut Missa in casu translationis dicatur ut in die obitus, puta cum eadem solemnitate et cum iisdem privilegiis, quibus gaudet Missa exequialis in depositionis die.

⁹⁾ S. R. C. 3. Jul. 1869 n. 3208. — ¹⁰⁾ S. R. C. 2. Dec. 1891 ad 3. n. 3755. — ¹¹⁾ S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 10. in Labacen.

§ 3. *Ritus Missae exequialis solennis.*

22.—1. Juxta supra n. 18. ad 4. dicta Missa exequialis debet celebrari ritu solemnī, scilicet cum Ministris sacris, thure et cantu vel saltem simpliciter cum cantu tamquam Missa mere cantata de Requie, idque non tantum in die vel pro die obitus seu depositionis stricte tali, sed etiam in die translata. Quod tam rigorose requiritur, ut Missa exequialis sine cantu in Festis duplicibus et diebus Missas de Requie quotidianas excludentibus celebrari nunquam possit, neque praesente cadavere, nisi excuset paupertas defuncti ejusque familiae vel haeredum. Possunt tamen Missae lectae dici praeter Missam exequialem solemnem vel cantatam sub conditionibus infra n. 24. recensitis.

2. Sumitur pro defuncto Papa, Cardinali, Episcopo prima ex quatuor Missis de Requie in missali assignatis cum unica Oratione conveniente ex Orationibus diversis pro defunctis¹⁾; pro defuncto Sacerdote prima vel secunda Missa cum unica Oratione. *Deus qui inter apostolicos Sacerdotes famulum tuum N sacerdotali etc.*²⁾; pro reliquis defunctis secunda Missa cum unica Oratione ibi assignata. Dicta formularia adhibentur pro respectivis defunctis etiam tunc, quando ritus dierum intercedentium obitum inter et sepulturam est semiduplex vel simplex, ita ut singulis iisdem diebus eadem Missa iterari valeat ac in die obitus seu depositionis.³⁾ Sequentia semper dicitur.

3. Quodsi prima die libera post impedimentum Missa exequialis, corpore jam sepulto, quacunque ex causa non celebretur, cessat omne privilegium et ultra Missa de Requie pro eodem defuncto dici non potest nisi Missa quotidiana diebus, quibus hae Missae permittuntur, vel Missae ex alio titulo privilegiatae e. g. quia forsitan est dies tertia, septima, vel trigesima post depositionem, et tunc dicitur Oratio his diebus propria.

¹⁾ Rub. spec. ante Orat. divers. In Oratione pro Presbytero Cardinali, sed Episcopo, dicitur *Deus qui inter . . . famulum tuum Presbyterum Cardinalem pontificali fecisti dignitate vigere etc.* S. R. C. 23. Sept. 1885 ad 4. n. 3642. — ²⁾ S. R. C. 29. Jan. 1752 ad 8. n. 2417. — ³⁾ Eph. Lit. 1900 pag. 293.

Caput V.

De Missis exequialibus privatis.

23. Licet unica tantum Missa eaque solemnitas vel cantata vere et proprie sit exequialis, tamen ex jure liturgico novo permittuntur servatis servandis occasione Exequiarum etiam Missae de Requie lectae, quae ideo Missae exequiales privatae nuncupari possunt, suntque veluti additamentum Missae exequialis cum cantu pariterque privilegiatae. In Rubricis et Decretis hae Missae dicuntur Missae privatae de Requie in die vel pro die obitus seu depositionis.

§ 1. *Regulae generales circa Missas exequiales privatas.*

24.—1. Praeter Missam exequialem unicam solemnem vel cantatam permittuntur etiam Missae exequiales privatae die vel pro die obitus seu depositionis, eaeque plures pro eodem defuncto.

Docemur hoc per Decretum: »In quibuslibet ecclesiis et oratoriis quum publicis tum privatis et in sacellis ad seminaria, collegia et religiosas vel pias utriusque sexus communitates spectantibus, Missas privatas de Requie praesente, insepulto vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere, fieri posse die vel pro die obitus aut depositionis, sub clausulis et conditionibus, quibus juxta Rubricas et Decreta Missa sollemnis de Requie iisdem in casibus decantatur, et exceptis Duplicibus primae classis, Dominicis aliisque Festis de praeccepto«, ¹⁾ exceptis etiam diebus Duplicia primae classis excludentibus. ²⁾ Sacellis in praefato Decreto recensitis addi debent capellae navium, ita ut etiam in his Missae exequiales privatae celebrari valeant, sub conditione tamen infra sub regula generali secunda exposita. ³⁾

¹⁾ Decr. 19. Maji (8. Jun.) 1896 ad 2. n. 3903. — ²⁾ S. R. C. 12. Jan. 1897 ad 5. n. 3944. et Rub. gen. miss. tit. v. n. 2. —

³⁾ S. R. C. 4. Mart. 1901 ad 6. in Vicen. (Eph. Lit. 1901 p. 331.)

Ex Decreto relato sequitur: *a)* Non solum unam Missam solemnem vel cantatam de Requie ratione Exequiarum, sed praeter hanc etiam Missas privatas plures pro uno eodemque defuncto permitti;⁴⁾ *b)* has Missas privatas esse indultas die aut pro die obitus seu depositionis tantum, minime vero pro diebus tertio, septimo, trigesimo aut anniversario, neque quando nuntio mortis alicujus accepto Missa celebranda sit, nisi ritus semiduplex vel simplex excuset; *c)* has Missas lectas permitti, quotiescunque permissa est Missa exequialis cum cantu, exceptis tamen juxta Decretum et Rubricam excipiendis diebus, excepta etiam die omnium Fidelium defunctorum, in qua praeter Missam unicam exequialem cum cantu, reliquae omnes dicantur ut in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum cum applicatione ad libitum, ergo, si placeat, etiam pro defuncto, cujus aguntur Exequiae. Recole n. 14. ad 3.

2. Missae exequiales privatae celebrari possunt in quibuslibet ecclesiis et oratoriis sive publicis sive privatis sive semipublicis.

Oratoria publica ea sunt, quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata, januam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum. Privata stricto sensu dicuntur oratoria, quae in privatis aedibus in commodum alicujus personae vel familiae ex Indulto s. Sedis erecta sunt. Oratoria semipublica ea sunt, quae etsi in loco quodammodo privato vel non absolute publico auctoritate Ordinarii erecta sunt, commodo tamen non Fidelium omnium nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicujus communitatis vel personarum coetus inserviunt. Hujus generis oratoria sunt, quae pertinent ad seminaria et collegia ecclesiastica, ad pia instituta et societates votorum simplicium aliasque communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordi-

⁴⁾ Quod confirmatur per Decr. S. R. C. 28. Maji 1897 ad I. n. 3957.

nario approbatis, ad domus spiritualibus exercitiis addictas, ad convictus et hospitia juventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata, ad nosocomia, orphanotrophia necnon ad arces et carceres, atque similia oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christiani-fidelium coetus⁵⁾ convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adjungi debent capellae in coemeterio erectae, dummodo in Missae celebratione non iis tantum, ad quos pertinet, sed aliis etiam fidelibus aditus pateat. Ita S. R. C. in Decreto diei 23. Jan. 1899.⁶⁾ Relate ad capellas navium eadem Congregatio definivit: „Si capella locum fixum habeat in navi, uti publica pro navigantibus habenda est, secus neque publica est neque privata, sed habetur uti altare portatile.“⁷⁾ In hujusmodi omnibus sacellis et oratoriis sicuti in ecclesiis quibuscumque aliis juxta Decretum sub reg. gen. 1. allegatum Missae exequiales privatae licitae sunt, servatis servandis.

3. Ut Missae exequiales privatae in ecclesiis et oratoriis cum omnibus privilegiis in Decreto concessis fieri possint, servandae sunt certae clausulae et conditiones.

Requiritur *a)* ut corpus defuncti in ecclesia vel oratorio publico et etiam in semipublico, si in eo Exequiae peragantur, sit vel physice vel moraliter praesens. Si ergo ejus praesentia realis possibilis est, debet esse physice, secus moraliter praesens sensu n. 18. ad 2. exposito. In oratorio semipublico autem, in quo Exequiae non peraguntur, et in quocumque oratorio privato non requiritur praesentia physica, sed sufficit praesentia moralis, quatenus corpus sit in domo defuncti, hoc est in aliqua aula vel in aliquo cubiculo domus, in qua

⁵⁾ Qualis coetus intelligendus sit, declaravit S. R. C. 3. Aug. 1901: »intelligi posse de quibuscumque fidelibus, qui, assentiente Domino loci et Ordinarii auctoritate interveniente, accedant ad praedicta oratoria pro audienda Missa etiam in adimplementum praecepti festivi.« Cf. Eph. Lit. 1902 pag. 1. —

⁶⁾ In Collect. auth. nov. n. 4007. — ⁷⁾ S. R. C. 4. Mart. 1901 ad 5. in Vico.

situm est respectivum oratorium.⁸⁾ Non permittuntur ergo praefatae Missae in dictis oratoriis, si corpus defuncti sit in ecclesia, sive parochiali sive non parochiali, ob Exequias ibi peragendas vel peractas, quemadmodum minime licet in una ecclesia habere cadaver, in altera vero litare Missas, de quibus sermo. Ceterum dicta praesentia in domo intelligenda est de praesentia non solum physica, sed etiam morali in domo, quatenus ex gravi causa e. g. ob morbum contagiosum cadaver vetatur haberi in domo.⁹⁾

Requiritur b) ut, quo die in ecclesiis et oratoriis publicis celebrandae sunt Missae exequiales privatae, eodem die in iisdem ecclesiis et oratoriis fiat etiam funus cum Missa exequiali solemni.¹⁰⁾ Quod adeo rigore requiritur, ut, deficiente hac conditione, hoc est omissis funeralibus, omitti debeant etiam Missae exequiales privatae. Funus significat pompam funebrem seu actus liturgicos in Rituali Romano praescriptos et circa cadaver agendos vel saltem circa castrum doloris, si cadaver non fuerit physice praesens; est ergo idem ac Exequiae. Uno eodemque igitur die celebrandae sunt Missae exequiales, tam sollemnis vel cantata quam lectae, et contra legem ageret, qui Missas sine cantu a Missa cum cantu quoad tempus ita separaret, ut illas hodie, istam cras vel vice versa faceret. Porro in una eademque ecclesia vel oratorio publico agenda sunt funeralia cum Missa exequiali solemni vel cantata et Missae exequiales privatae, et contra legem ageret, qui Missam cum cantu et Missas sine cantu separaret quoad locum, celebrando scilicet illam in hac, has autem in alia ecclesia. Vult enim Decretum, ut Missae exequiales privatae in illa tantum ecclesia aut oratorio publico

⁸⁾ Quoad oratoria semipublica concluditur hoc ex Decreto S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 7. in Labacen., quo Missae exequiales privatae in dictis oratoriis permittuntur, quin inibi fiant Exequiae. Quoad oratoria privata autem hoc expresse traditur in Decretis. S. R. C. 12. Jan. 1897 ad 3. n. 3944; 28. Maji 1897 ad I. n. 3957; 3. Apr. 1900 ad 4. in Vicen. (Eph. Lit. 1900 pag. 257.) Cf. Eph. Lit. 1900 pag. 519. seq. et 657. ad V. — ⁹⁾ S. R. C. 19. Maj. (8. Jun.) 1896 ad 2. n. 3903. et 28. Apr. 1902 ad 8. in Labacen. — ¹⁰⁾ S. R. C. 12. Jan. 1897 ad 3. n. 3944.

dici valeant, in quo aguntur Exequiae, quarum praecipua pars est Missa cum cantu. Ast Exequiae in una tantum ecclesia aut oratorio publico fieri possunt, quia cadaver non in plures ecclesias deferendum est, sed in unam tantum; et in hac solum, non in aliis, Missa in Duplicibus permittitur, in hac solum, non in aliis, sint parochiales vel non, permittuntur etiam lectae.¹¹⁾ Ceterum dictae Missae privatae celebrari possunt non tantum durante Missa exequiali cum cantu, sed etiam ante et post eam e. g. infra recitationem Officii defunctorum, durante oratione funebri, si expediat, et toto tempore, quo praesente physice vel moraliter cadavere funus agitur. Ubi mos viget deferendi corpus defuncti ad ecclesiam pridie funeris exequialis ad vesperam, hae Missae celebrari possunt per totum mane sequentis diei inde ab aurora, quia revera per totum mane in ecclesia praesens est cadaver Exequiarum agendarum gratia.¹²⁾ — In oratoriis semipublicis¹³⁾ et privatis¹⁴⁾ autem Missae exequiales privatae fieri possunt secluso funere et absque Missa exequiali cum cantu, quippe quae in oratoriis semipublicis non est de praecepto, in privatis autem prorsus est prohibita.

Requiritur *c)* ut biduum post sepulturam non excedatur. Ratio est, quia in Decreto expresse dicitur, Missas privatas de Requie praesente, insepulto vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere, fieri posse die vel pro die obitus seu depositionis. Transacto igitur post sepulturam biduo cessant privilegia et Missae, de quibus sermo, celebrari nequeunt, etiamsi Missa exequialis cum cantu transferatur post biduum ex causa legitima.

Requiritur *d)* ut Missae exequiales privatae applicentur pro defuncto, cujus habetur cadaver vel physice vel moraliter praesens.¹⁵⁾ Propter uniformitatem cum aliis Exequiarum tempore in colore nigro celebratis

¹¹⁾ S. R. C. 3. Apr. 1900 ad 1. in Vicen. — ¹²⁾ Stappen, Sac. Liturg. tom. II. Q. 343. Eph. Lit. 1899 pag. 254. n. 4. —

¹³⁾ S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 7. in Labacen. — ¹⁴⁾ S. R. C. 12. Jan. 1897 ad 3. n. 3944, 3. Apr. 1900 ad 3. in Vicen. —

¹⁵⁾ S. R. C. 12. Jan. 1897 ad 4. n. 3944.

Missis servandam vel solius solemnitatis gratia celebrare Missas de Requie sine applicatione tamen pro defuncto, cujus Exequiae aguntur, non licet, nisi excuset ritus duplici inferior.¹⁶⁾

4. Missae exequiales privatae in ecclesiis et oratoriis publicis et semipublicis privilegiatae sunt die Exequiarum tantum, in oratoriis privatis autem, extante cadavere in domo, toties quoties Missae privatae inibi sunt indultae.

Ratio primi est, quia Missae exequiales sine cantu sunt quasi additamentum Missae exequialis cum cantu, et ita huic adstrictae, ut nonnisi propter hanc et occasione hujus fieri possint. Quae quum ex dispositione Decretorum et Rubricarum una tantum vice ab instante mortis usque ad secundum post sepulturam diem inclusive permittatur certisque privilegiis fruatur (n. 13. ad 4.), per consequens etiam Missae exequiales lectae in ecclesiis et oratoriis publicis et, si in iis fiant Exequiae, etiam in semipublicis una tantum vice infra dictum spatium, die scilicet Exequiarum, non in aliis, cum suis privilegiis celebrari possunt. Si vero Exequiae in oratorio semipublico non fiant, nil prohibet, quominus oratorium hujusmodi considerari possit uti privatum, ad effectum praefatas Missas toties quoties celebrandi, praesente tamen cadavere in domo, uti praescriptum est pro oratoriis privatis.

Ratio secundi est, quia »in oratoriis privatis Missae, quae ibidem legi permittuntur, possunt esse de Requie, praesente cadavere in domo.«¹⁷⁾ Attendendum ergo est ad tenorem Indulti, vi cujus in oratoriis privatis Missae privatae semel vel pluries per hebdomadam permittuntur, et quotquot indulgentur, totidem esse possunt de Requie praesente cadavere in domo, servatis servandis.¹⁸⁾ Exemplum: Fabius obiit Feria secunda summo mane in domo sua, quae habet oratorium privatum cum privilegio unius Missae sin-

¹⁶⁾ Eph. Lit. 1899 pag. 616. — ¹⁷⁾ S. R. C. 3. Apr. 1900 ad 3. et 4. in Vicen. — ¹⁸⁾ Eph. Lit. 1899 pag. 667.

gulis per hebdomadam diebus, ejusque cadaver manet in domo usque ad sepulturam Feria quarta circa meridiem faciendam. In casu ergo pro defuncto Fabio singulis Feriis, secunda, tertia et quarta una Missa celebrari poterit, licet hisce diebus occurrant Festa duplicia. At nonne mirandum sane, quod lex largior sit quoad pluralitatem dierum in oratoriis privatis quam in ecclesiis? Minime gentium! In ecclesiis enim Missae, ultra cantatam, plurimae una die esse possunt, quod de oratoriis privatis accidere non potest, et una vel alia Missa in oratorio privato minus est, quam omnes Missae in ecclesiis et oratoriis publicis.¹⁹⁾

§ 2. Privilegia Missarum exequialium privatarum.

25. Quibus privilegiis gaudent?

1. Ex jure antiquo hae Missae non permittuntur nisi in Festis semiduplicibus et simplicibus, Feriis non privilegiatis, Vigiliis non privilegiatis et diebus infra Octavas non privilegiatas, quibus fit Officium semiduplex vel de Octava. In praesenti disciplina autem gaudent privilegio, ut, sanctissimo Sacramento solemniter non exposito, celebrari valeant etiam infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniae et Corporis Christi, in Vigilia privilegiata Epiphaniae necnon in Festis duplicibus tam minoribus quam majoribus, imo in Festis duplicibus secundae classis, nisi sint de suppressis (vide n. 26. ad 3) aut de servandis ex praecepto, et nisi obliget applicatio pro populo aut processio atque Missa Rogationum sub conditione numero 8. allegata.

2. Privilegium unius Orationis ob solemnitatem intrinsecam, qua Missae hae celebrantur sub ritu duplici, uti dictum est n. 9. et 13.

26. Quibus diebus impediuntur?

Juxta Rubricas¹⁾ et Decreta²⁾ Missas exequiales privatas impediunt:

¹⁹⁾ Eph. Lit. 1900 pag. 677.

¹⁾ Rub. gen. miss. tit. V. n. 2. — ²⁾ S. R. C. 19 Maji (8. Jun.) 1896 ad 2. n. 3903. et 12. Jan. 1897 ad 5. n. 3944.

1. Festa quaecunque duplicia primae classis, tam universalis quam particularia, solemniora et minus solemnia, sive recolantur a populo sive non.

2. Dominicae per annum et Festa quaecunque de praecepto seu cum feriacione i. e. cum obligatione audiendi Missam et abstinendi a servilibus recolenda.

3. Festa etiam suppressa, videlicet ea, quae olim cum feriacione ex parte populi recolebantur, hodie autem non sunt amplius de praecepto, quamvis non sint primae classis e. g. Festa Apostolorum abrogata.³⁾

4. Dies, quorum Officia excludunt Festa duplicia primae classis, nempe: a) Feriae privilegiatae, quales sunt Feria quarta Cinerum et omnes Feriae hebdomadae majoris, b) Vigiliae Nativitatis et Pentecostes, c) dies infra Octavas Paschatis et Pentecostes et dies octava Epiphaniae.

5. Ubi praeter Missam exequialem solemnem altera tantum habetur Missa, haec vetatur celebrari de Requie diebus s. Marci et Rogationum, si per eam impedienda foret processio praescripta. Lege et perpende dicta n. 8.

6. Dies, quibus fit solemnis expositio Sanctissimi vel privata ex causa publica, juxta dicta n. 7.

27. In casu impedimenti liturgici possuntne hae Missae transferri?

Non possunt transferri in aliam post biduum a depositione diem liberam, licet Missa solemnis exequialis transferatur. Ratio est, quia lex concedit quidem

³⁾ Hanc sententiam sustinent Ephemerides Liturgicae Romanae (1902 pag. 539.) potissimum ex eo, quod Summi Pontifices ex Festorum imminutione nihil innovatum volunt circa sacram liturgiam in ecclesiis servandam, ideoque Festa suppressa nihil amittere debent de iis, quae jure liturgico ad ea spectant. (Conf. Decret. Pii IX. 6. Sept. 1853). Eadem Ephemerides etiam referunt, in Exequiis pro defuncto Cardinali Ledowski die 25. Julii 1902 in ecclesia s. Laurentii in Lucina habitis in die depositionis et praesente cadavere, adstante Collegio Patrum purpuratorum et tota Romana Curia, unam Missam cantatam fuisse de Requie, ceteris omnibus, quae plurimae fuerunt etiam tempore Missae solemnis, de s. Jacobo lectis in paramentis rubris.

jus translationis Missae exequiali cum cantu, de translatione Missarum exequialium sine cantu vero altum servat silentium. Exemplum: Fabius in Coena Domini mane defunctus tumulatur in Parasceve. Missa exequialis cum cantu secundum dicta n. 20. celebrari non valet neque die depositionis neque sequenti biduo, ergo nec celebrare fas est hisce diebus Missas lectas exequiales. Sed illa transferri potest in primam diem liberam, quae est in casu Feria quarta post Pascha, uti patet ex dictis n. 21., istae autem transferri nequeunt et in casu plane omittuntur.

§ 3. *Ritus Missarum exequialium privatarum.*

28. Ex dispositione legis hae Missae celebrandae sunt »sub clausulis et conditionibus, quibus juxta Rubricas et Decreta Missa solemnis de Requie die vel pro die obitus seu depositionis decantatur«, ¹⁾ ergo quantum ad quaestionem nostram: a) juxta idem formulare ac Missa exequialis cum cantu, b) sub ritu, qui duplici respondet, hoc est cum unica Oratione conveniente, c) cum Sequentia.

Si ritus dierum intercedentium obitum inter et sepulturam vel, servatis servandis, infra biduum post factam ob gravem causam sepulturam, sit semiduplex vel simplex, nil obstat, quominus iis diebus iteretur Missa lecta cum eodem formulari eademque Oratione ut in die obitus. ²⁾

De Missis celebrandis in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, si contingant Exequiae, vide n. 14. ad 3.

Caput VI.

De Privilegio Episcoporum.

29. In Decreto S. R. C. 3. Apr. 1894¹⁾ disponitur, „ut dum corpus Episcopi dioecesanii defuncti, sacris indutum vestibus, in propriae aedis aula majori pu-

¹⁾ S. R. C. 19. Maji (18. Jun.) 1896 ad 2. n. 3903. — ²⁾ S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 11. in Labacen.

³⁾ Confirmatum a Leone XIII. 29. Apr. 1894. In nova Collectione auth. sub n. 3822.

blice et solemniter jacet expositum, Missae in suffragium animae ejus per totum mane celebrari valeant; iis omnibus servatis, quae de Episcopi defuncti corpore exponendo ac suffragiis ferendis in Caeremoniali Episcoporum lib. II. cap. 38. praescribuntur.«

1. Agitur in hoc Decreto de novo privilegio Episcopis concessio, ut scilicet non tantum una, praeter illam, quae in capella episcopali de jure ²⁾ legi potest, sed plures etiam eodemque tempore Missae per totum mane permittantur in majori aula, ubi cadaver Episcopi manet solemniter expositum.

2. Hae Missae debent esse lectae et sunt privilegiatae ad instar Missarum exequialium privatarum, ideoque licitae et prohibitae iisdem ac istae diebus.³⁾ Vide n. 25. et 26. Dicitur prima Missa cum unica Oratione convenienti et Sequentia.

3. Ut celebrari valeant, adimplendae sunt conditiones a Caeremoniali Episcoporum ⁴⁾ praescriptae, nimirum *a)* ut corpus Episcopi defuncti sacris indutum vestibus, quibus vivens induebatur, dum solemniter erat celebraturus, exponatur in aula majori propriae aedis et *b)* ut in dicta aula a Clero, si ad hoc invitatus fuerit, agantur Vigiliae, hoc est Vesperae, Matutinum cum Invitatorio et tribus Nocturnis ac Laudibus defunctorum. In aula erigantur altaria pro Missis praefatis inibi celebrandis.

4. Quod privilegium Episcopis in sua dioecesi concessum ex eodem Decreto extenditur: *a)* ad Vicarios Apostolicos in suis Vicariatibus, *b)* ad Abbates ceterosque Praelatos Nullius Dioeceseos jurisdictione in plebem ordinaria quum vita cesserunt fruenter in proprio tamen territorio; *c)* de speciali gratia ad Episcopos Titulares defunctos, dummodo eorum cadavera in

²⁾ S. R. C. decrevit: »In capella palatii episcopalis, etiam absente Episcopo vel vacante Sede, posse Missam celebrari, potissimum vero per Vicarium, necnon diebus festis inibi Sacrum audientes implere praeceptum Ecclesiae.« Die 2. Jul. 1661 n. 1196. Cf. etiam S. R. C. 8. Apr. 1854 ad 1. n. 3021. — ³⁾ S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 12. in Labacen. — ⁴⁾ Lib. II. cap. 38. n. 10. et seq.

aula convenienti exponantur et ornamentis pontificalibus (absque tamen baculo pastoralis, qui est symbolum jurisdictionis), si extra Urbem, fuerint induta, si vero in Urbe, habitu tantum praelatio.⁵⁾

Caput VII.

De Missa exequiali pro pauperibus.

30. Juxta antiquam disciplinam pro paupere, quo mortuo nihil aut ita parum supererat, ut expensae Missae exequialis cum cantu solvi non potuissent, Missa lecta exequialis aut prorsus non aut inter quosdam limites tantum permittebatur. In recenti vero disciplina valet regula generalis:

Pro paupere defuncto, pro quo expensae Missae exequialis cum cantu solvi nequeunt, potest fieri Missa exequialis lecta sub iisdem clausulis et conditionibus, sub quibus conceditur Missa exequialis cum cantu.

Ad quaesitum enim: „An pro paupere defuncto, cujus familia impar est solvendi expensas Missae exequialis cum cantu, haec Missa legi possit sub iisdem clausulis et conditionibus, quibus praefata Missa cum cantu conceditur?“ S. Rituum Congregatio respondit: „Affirmative, seu permitti posse in casu Missam exequialem lectam loco Missae cum cantu, dummodo in Dominicis aliisque Festis de praecepto non omittatur Missa Officio diei currentis respondens.“¹⁾

Unde sequitur: *a)* Missam lectam de Requie loco solemnis vel cantatae in casu esse permissam eamque aequivalere Missae exequiali cum cantu; *b)* unam tantum esse posse hujusmodi Missam, non plures, quia exequialis cum cantu, cui lecta sufficitur, pariter una tantum permittitur; *c)* sicut in hac ita et in illa cada-

⁵⁾ Eph. lit. 1894 pag. 325. sq.

¹⁾ Decr. 9. Maji (12. Jun.) 1899 n. 4024.

ver defuncti praesens esse debere vel physice vel moraliter; *d*) etiam pro celebranda hac Missa concedi biduum post sepulturam eodem modo ac pro Missa exequiali cum cantu; *e*) iisdem eam permitti diebus, quibus permittitur illa cum cantu, exceptis dumtaxat Dominicis et Festis de praecepto in ecclesiis unam tantum Missam habentibus; *f*) secluso cantu eodem plane modo, hoc est juxta idem formulare, cum eadem unica Oratione et cum Sequentia eam debere celebrari ac cantatam; *g*) hanc Missam non esse confundendam cum Missis privatis celebrandis occasione Exequiarum; *h*) hoc privilegium pauperum non esse extendendum ad Missas diebus tertio, septimo, trigesimo, anniversario, neque ad Missas indultas in Duplicibus aliquoties in hebdomada.²⁾

31. Si stipendium neque pro Missa lecta solvi posset, teneturne Sacerdos Missam applicare pro tali paupere defuncto?

Per se non tenetur, quia nullo titulo justitiae ad hoc adstringitur. Rituale Romanum praescribens, »ut Missa praesente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur« addit: »quantum fieri poterit«;³⁾ quae verba satis perspicue positivum praeceptum applicandi pro defuncto excludunt. Et paulo inferius disserens de sepultura pauperum mandat quidem, ut »gratis omnino sepeliantur ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes«, de Missa autem, pro qua nullum acceptum fuit stipendium, pro paupere applicanda, prorsus silet. Denique ipsi S. Concilii Congregationi sequens propositum fuit dubium: »An Sacerdos in Exequiis persolvendis Missam celebrans, non accepto stipendio, debeat pro ipso defuncto vel potius pro aliis petentibus et eleemosynam offerentibus Sacrificium applicare?« Et respondere censuit: »Negative ad primum; Affirmative ad secundum.«⁴⁾ Ex qua declaratione igitur Sacerdotes multum

²⁾ S. R. C. 28. Jan. 1898 n. 3977. — ³⁾ Tit. VI. cap. 1. n. 4. — ⁴⁾ Decr. ipsum refertur in Eph. Lit. 1896 pag. 292. seq.

juvantur, quatenus Missam de Requie celebrare possunt et applicare pro lubitu diebus, quibus ratione ritus prohibita foret et tamen ratione defuncti permittitur.

Quod vero illusionem attinet, quae prima fronte fieri videtur, quum pro defuncto paupere putatur Missa applicari, etsi in alium finem applicetur de facto, dici potest, illusionem hic locum non habere, quia semper defuncti anima juvatur, sive ratione precum et Orationum Missae diei obitus seu depositionis, sive etiam ratione fructus Missae, quippe qui ex dispositione divina etiam in favorem pauperis defuncti, cujus praesens est vel censetur cadaver, applicari saltem partialiter potest.⁵⁾

Sed probe intelligas, quaeso, quae dicta sunt. Ad quod enim non tenetur ex justitia, hoc Sacerdos libenter praestabit ex charitate, adeo ut praefatam Missam, etiam nulla accepta stipe, pro defuncto paupere, cujus vel physice vel moraliter praesens est corpus, applicare non omittet pastoralis ductus pietate.

Caput VIII.

De Missa post acceptum de alicujus obitu nuntium.

32. Missis pro die obitus seu depositionis accensetur Missa, quae celebratur pro defuncto, cujus mortis acceptum est nuntium. Dies, qua haec Missa celebratur, a nonnullis liturgistis¹⁾ dies quasi-obitus appellatur et est privilegiata.

Duo hic considerata veniunt Decreta, quorum primum definit tempus celebrationis hujus Missae: »Eadem Missa (sc. exequialis solemnis vel cum cantu) celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum vel ejus acceptum a locis dissitis nuntium die, quae prima occurrat non impedita a Festo duplici primae

⁵⁾ Eph. Lit. ibid. n. 12. et 1900 pag. 367.

¹⁾ Cavalieri tom. III. Decr. 24.

et secundae classis vel a Festo de praecepto, quo etiam in casu Missa dicenda erit ut in die obitus.«²⁾

Alterum Decretum, quod in Rubricam³⁾ transiit, disserens de numero Orationum in Missis de Requite, decernit, unam tantum esse dicendam Orationem etiam in Missa, quae celebratur »post acceptum nuntium de alicujus obitu.«⁴⁾

Quod ergo privilegium in antiqua disciplina Religiosis Familiis in favorem membrorum recens decessorum concedebatur, hoc ex jure recentiori extenditur ad quoscunque Christifideles, adeo ut Missa de Requite privilegiata celebrari queat pro quocunque defuncto, sive fuerit membrum alicujus Religiosae Familiae sive non, sive notitia mortis pervenerit ad aliquam Religiosam Communitatem sive ad particularem personam ad nullam Communitatem pertinentem, et sive haec persona sit Sacerdos sive laicus, qui ad Sacerdotem rem defert. In Decreto enim nulla ponitur limitatio; et ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. In praesentiarum ergo valet regula generalis:

Pro quocunque, in loco dissito defuncto, Missa de Requite privilegiata celebrari potest prima die libera post acceptum ejus obitus nuntium.

33. Conditiones, sub quibus haec Missa celebrari permittitur, facile eruuntur ex relatis Decretis. Sunt etenim hae: *a)* ut Missa sit unica, saltem in eadem ecclesia, nisi sit Semiduplex aut aequivalens; *b)* ut sit solemnis vel saltem cantata, quia Decretum loquitur de eadem Missa i. e. de Missa exequiali solemni vel cantata; *c)* ut haec Missa solemnis vel cantata celebretur prima die libera post acceptam obitus notitiam; *d)* ut dies libera in casu intelligatur dies non impedita *α)* a Festo de praecepto, quo comprehenduntur etiam Dominicae, juxta dicta n. 6., *β)* a Festo duplici primae et secundae classis etiam non praecepto, *γ)* ab Officio Festa primae et secundae classis

²⁾ Decr. gen. 2. Dec. 1891 ad III. n. 3755. — ³⁾ Rub. gen. miss. tit. V. n. 3. — ⁴⁾ Decr. gen. 30. Jun. 1896 ad 1. n. 3920.

excludente, nempe a Feria quarta Cinerum et a Feriis hebdomadae majoris, a Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, a diebus infra Octavas Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes et a die octava Corporis Christi.⁵⁾

34. Quibus privilegiis gaudet?

1. Privilegio, ut possit celebrari, ss. Eucharistia solemniter vel ex causa publica non exposita, in Festis duplicibus minoribus et majoribus, nisi sint Festa de praecepto et nisi occurrant in Dominica.

2. Privilegio unius Orationis, quia celebratur sub ritu, qui duplici respondet. Recole dicta n. 9. et 13.

Amittuntur haec privilegia, si prima die libera post acceptum obitus nuntium haec Missa celebrata non fuerit, et dehinc non amplius permittitur, quia transferri non potest. Exemplum: Si Sabbato post meridiem accipiatur notitia de obitu alicujus, cantari poterit Missa Feria secunda, etsi Officium sit duplex non festivum,⁶⁾ qua die non celebrata, haec Missa privilegiis destituitur et celebrari amplius non poterit nisi Missa de Requie quotidiana vel de die tertio, septimo, trigesimo, diebus has Missas permittentibus.

35. Quo ritu celebratur?

Eodem ritu, juxta idem formulare et cum eadem Oratione uti Missa exequialis, cui aequiparatur. Dicitur enim in Decreto supra citato: »Quo etiam in casu (sc. post acceptum obitus nuntium) Missa dicenda erit ut in die obitus.« Celebrari ergo debet in cantu, nisi excuset privilegium pauperum, de quo in numero 30. disseruimus. Sumenda est semper unica Oratio et quidem eadem, quae dici deberet in die obitus seu depositionis, absque ulla mutatione, prout est in missali, non omisso verbo »hodie«, etiam tunc, quum defunctus jam sit sepultus ideoque tenor Orationis non omnino verificari videatur.⁷⁾ Missae lectae vero celebrari non possunt nisi in Semiduplicibus et Simplicibus, in quibus

⁵⁾ S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 10. in Labacen. — ⁶⁾ S. R. C. 3. Mart. 1761 ad 6. n. 2461. — ⁷⁾ S. R. C. 6. Febr. 1892 Dub. IV. n. 3764.

permittuntur Missae quotidianae defunctorum; sed etiam si legantur sumitur idem formulare eademque unica Oratio juxta dicta n. 9. ad 3.

Caput IX.

De Missis die tertio, septimo et trigesimo.

36. Regulae generales:

1. Post diem obitus seu depositionis ex institutione ecclesiastica prae aliis dies tertius, septimus et trigesimus in suffragium defunctorum celebratur privilegiisque decoratur.

Certum est, antiquitus secundum varium Ecclesiarum morem diem tertium, septimum, nonum, trigesimum, quadragesimum et anniversarium pro defunctis celebrari consuevisse per Psalmorum recitationem, piarum Orationum fusionem et praecipue per sacrosanctae Missae sacrificii oblationem.¹⁾ Uniformitatis stabiliendae gratia postea ex dictis diebus (praeter diem anniversarium, de quo suo loco fusius agemus) tertius, septimus et trigesimus selecti sunt, quibus solemnior fiat mortuorum recordatio, non quidem, ait Amalarius,²⁾ quasi iis tantum diebus et non aliis Officium Missae haberi debeat, aut iisdem diebus magis defunctis proficiat quam aliis, sed quia prae reliquis mysticas plurimas rationes habent.³⁾ Hos itaque dies Ecclesia in Ritualis et Missalis librum celebrandos suscepit et in favorem defunctorum privilegiis ditavit, ita ut hi dies solemnes et privilegiati pro defunctis reputentur,⁴⁾ ea tamen sub conditione, ut vere et stricte dies tertius, septimus et trigesimus sint; dies enim intermedii privilegiis destituuntur.⁵⁾ Non requiritur, ut Missa exequialis praecesserit neque ut defunctus has Missas

¹⁾ Eph. Lit. 1900 pag. 541. seq. — ²⁾ Apud Cavalieri tom. III. cap. 4. n. 1. — ³⁾ Videsis Gavantum p. I. tit. V. n. 3.; Cavalieri l. c. — ⁴⁾ Vide artic. II. cap. 1. n. 13. — ⁵⁾ S. R. C. 27. Febr. 1847 ad 1. n. 2939.; 9. Maji 1857 ad III. 1. n. 3049.

ordinaverit,⁶⁾ sed sufficit voluntas consanguineorum, amicorum et testamenti executorum.⁷⁾

2. Dies tertius, septimus et trigesimus tam a die obitus quam a die depositionis computari possunt.⁸⁾

Ratio est, quia per diem obitus seu depositionis intelligitur totum spatium ab instante mortis usque ad sepulturam, quod in favorem recens defuncti reputatur pro uno eodemque die, licet unus aut plures intercedant. Recole dicta n. 16. Ex eadem ratione computari possunt etiam a die aliquo intermedio, si talis intercedat obitum inter et sepulturam. Et hic computandi modus potest adhiberi non solum tunc, quando dies sive obitus sive depositionis, sive dies computati ab alterutra, sunt impediti, sed omni in casu, adsit necne impedimentum. Cavendum tamen est, ne Missa exequialis cum Missis, de quibus sermo, celebretur eodem die.⁹⁾ Si ergo Missa exequialis in sepultura celebrabatur tertio post obitum die, pro Missa de die tertio celebranda eligi debet non dies tertius ab obitu, sed a sepultura vel aliquo die intermedio. Eo minus licitum est, Missas de die septimo et trigesimo eodem die celebrare cum Missa exequiali aut de die tertio.¹⁰⁾

Si quaeritur, an dies obitus vel depositionis in computandis hisce diebus debeant includi vel excludi, dicendum est alterum.¹¹⁾ Lex enim loquitur de die tertio, septimo et trigesimo ab obitu (seu depositione); dies obitus seu depositionis autem non est prima ab obitu seu depositione, sed est eadem dies. Si depositio facta est prima die mensis, prima dies a depositione certo est secunda mensis; secunda a depositione est tertia mensis, tertia a depositione est quarta mensis et sic porro; ergo in hac, non in illa, celebranda erit

⁶⁾ S. R. C. 19. Jun. 1875 n. 3357. — ⁷⁾ S. R. C. 22. Mart. 1862 Dub. II. n. 3112. — ⁸⁾ S. R. C. 23. Aug. 1766 ad 2. n. 2482 et 2. Dec. 1891 ad IV. n. 3753. — ⁹⁾ S. R. C. 23. Maji 1846 ad 11. n. 2915. — ¹⁰⁾ Ibid. — ¹¹⁾ Decisio contraria in una Neapolit. 23. Febr. 1884 ad X. n. 5907 e nova Collectione authentica exulavit.

Missa de die tertio aliisque respectivis, nisi velis computare a die obitus stricte tali.

3. Una tantum Missa de Requie eaque solemnis vel cantata die tertio, septimo et trigesimo pro eodem defuncto in eadem ecclesia privilegiata est.

Hoc est, in Duplicibus pro eodem defuncto in eadem ecclesia nonnisi una Missa de die tertio, septimo et trigesimo celebrari potest, quae debet esse cum cantu, sive Ministris paratis assistantibus sive non. Ratio est, quia Decretum respectivum¹²⁾ loquitur de Missa (non de Missis) cum cantu et quia Missae de hisce diebus ex eodem Decreto tam quod numerum quam quoad qualitatem plane aequiparantur Missae de diebus anniversariis, quae debet esse unica et cum cantu, uti suo loco dicitur.

Nil tamen obstat, quominus diversis in ecclesiis, etiam exclusa ecclesia propria (parochiali) defuncti,¹³⁾ singulae Missae hujusmodi pro eodem defuncto celebrentur, servatis de jure servandis,¹⁴⁾ sicuti vetitum non est, diebus ritus duplici inferioris pro uno eodemque defuncto in eadem ecclesia plures Missas de hisce diebus celebrare sive cum sive absque cantu.

37. Quae sunt privilegia harum Missarum?

1. Privilegium unius Orationis. Censentur enim Missae solemnes, etiamsi, permittente ritu, tantum legantur, juxta dicta n. 9.

2. Privilegium rarioris impedimenti. Possunt enim celebrari in Duplicibus minoribus et majoribus¹⁵⁾ et in Vigilia Epiphaniae.¹⁶⁾

3. Privilegium anticipationis vel translationis in casu impedimenti liturgici, ut dicitur infra sub numero sequenti.

¹²⁾ Decr. cit. n. 3753. ad III. Cf. S. R. C. 23. Aug. 1766 ad 2. n. 2482. et 9. Maji 1857 ad III. 2. n. 3049. — ¹³⁾ Eph. Lit. 1899 pag. 254. seq. — ¹⁴⁾ Eph. Lit. 1900 pag. 550. — ¹⁵⁾ Decr. cit. n. 3753. ad I. et III. — ¹⁶⁾ S. R. C. 9 Maji 1857 ad II. n. 3049.

Sed privilegiis recensitis gaudent solummodo in die vere tertio, septimo et trigesimo necnon in die ob impedimentum liturgicum anticipato vel translato. Aliis diebus non sunt privilegiatae.

38. Quibus diebus impediuntur?

1. Duplicibus primae et secundae classis; Dominicis et Festis de praecepto; Octavis privilegiatis, nempe Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et ss. Corporis Christi; Feriis quoque privilegiatis, quae sunt dies Cinerum et hebdomadae majoris; Vigiliis item privilegiatis, videlicet Nativitatis Domini et Pentecostes

2. Tempore expositionis sollemnis Sanctissimi vel privatae ex publica causa. Recole dicta n. 7.

3. Diebus Rogationum sub clausulis et conditionibus sub n. 8. expositis.

Occurrente aliquo ex praefatis impedimentis, Missae »vel in proximam diem liberam transferri possunt vel in proximiori antecedenti die similiter liberam anticipari« cum iisdem privilegiis. Quae privilegia amittuntur, si dicta anticipatio vel posticipatio non fiat in primam vel proximam diem liberam. Dies autem liberi sunt ii, qui in superius recensitis non comprehenduntur.¹⁷⁾

39. Quo ritu celebrantur?

Debent esse, ut supra dictum est, solemnes vel cantatae saltem in Duplicibus, habent semper unicam Orationem et Sequentiam, etiam quando, permittente ritu, leguntur. Recole dicta n. 9. ad 3. et n. 12. ad 2.

Missae formulare quod attinet, sumitur: *a)* pro defuncto Papa, Cardinali et Episcopo prima Missa in missali assignata cum Oratione eorum dignitati conveniente ex Orationibus diversis pro defunctis; *b)* pro defuncto Sacerdote prima vel secunda Missa cum Oratione *Deus qui inter apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. sacerdotali etc.*; *c)* pro defunctis clericis et laicis secunda Missa cum Orationibus in fine

¹⁷⁾ Decr. cit. n. 3753. ad II et III.

hujus Missae pro hisce diebus assignatis. Dicta formularia absque mutatione Orationis sumuntur etiam in Missis, quae de his diebus celebrantur in die anticipata vel translata ob impedimentum legitimum necnon in Missis, permittente ritu, lectis.

Nota. Quod dicitur supra sub *a*) disponitur a Rubrica speciali 1. et 2. ad Orationes diversas pro defunctis, dicta sub *b*) vero a Decreto S. R. C. diei 29. Jan. 1752 ad 8.¹⁸⁾ Quibus in locis agitur quidem de Missa exequiali et de Anniversariis dumtaxat, sed quum juxta aliud Decretum diei 2. Dec. 1891 ad 3.¹⁹⁾ dies tertius, septimus et trigesimus quoad Missam de Requie cum cantu aequiparentur Anniversariis, concludendum est, idem Missae formulare cum eadem Oratione hisce diebus sumi debere ac in respectivis Anniversariis.

Caput X.

De Anniversariis Defunctorum in genere.

40. Quid sunt Anniversaria et in quem finem instituuntur?

Anniversarium defunctorum, generaliter loquendo, est dies illa, qua singulis annis memoria celebratur obitus alicujus vel plurium defunctorum. Cujus autem memoriae celebratio quum communiter et potissimum agatur per Missae de Requie celebrationem, haec ipsa Missa nomine Anniversarii venit. Anniversarium itaque est Missa de Requie, quae redeunte anni circulo in memoriam et suffragium unius vel plurium defunctorum offertur.

Finis, in quem instituta sunt Anniversaria, est, ne defunctorum memoria inter vivos penitus oblietur, neque defuncti suffragiis repetitis destituantur, quum qualiter eorum causa in alia vita habeatur nescimus.

¹⁸⁾ In Collect. auth. nov. sub n. 2417. — ¹⁹⁾ Ibid. sub n. 3753.

Ab apostolico aevo Anniversaria pro defunctis celebrandi consuetudinem viguisse, fide dignissimi prae-
dicant testes.¹⁾ Stet unus pro pluribus s. Joannes
Damascenus, qui dicit: »Divinarum rerum praeco-
nes Apostoli et sacri Magistri et Spiritu Sancto inspi-
rati Patres ista omnia, hoc est Missas et preces et
cantus anniversariasque eorum, qui morte perempti
sunt, commemorationes instituerunt atque sanxerunt.«²⁾

41. Quomodo distinguuntur Anniver- saria?

1. Ex titulo foundationis Anniversaria sunt fun-
data et privata. Illa sunt, quae a fundatoribus vel
ab eorum haeredibus in perpetuum statuuntur, ista,
quae nulla exstante foundatione ad petitionem vivorum
celebrantur. Si fundatum sit Anniversarium, per hoc
praecise nomen Anniversarii intelligendum est onus
Missae solemnis de Requie dumtaxat, sine Officio de-
functorum; quodsi per foundationem injungitur etiam
Officium, hoc restringitur ad unum Nocturnum con-
veniens diei cum Laudibus.³⁾

2. Ex titulo determinationis diei celebrationis
habentur Anniversaria stricte sumpta et late
sumpta. Quae sunt stricte sumpta, celebrari debent
die determinata sive sit dies anniversaria ab obitu vel
a depositione sive alia determinata dies; late sumpta
vero celebrari possunt extra diem obitus seu depositi-
onis et absque ulla determinata assignatione diei, ser-
vatis tamen servandis.

3. Ex titulo obligationis distinguuntur Anniver-
saria de praecepto et non de praecepto. Obli-
gatio in casu non intelligitur ea, quae oritur ex sti-
pendio percepto vel ex censu pro solvendis expensis
relicto, sed ea, quae imponitur a lege. Hoc sensu Anni-
versaria de praecepto sunt: Anniversarium pro Epi-
scopo dioecesano proxime defuncto ex lege Caeremo-

¹⁾ Videsis Eph. Lit. 1890 pag. 237. seq. et 1900 pag. 640.
ad 2. — ²⁾ Orat. pro Fidel. defunctis. — ³⁾ S. R. C. 21. Jul.
1855 ad 1. et 2. n. 3032.

nialis Episcoporum lib. II. cap. 36. et Anniversarium quotannis celebrandum pro omnibus Episcopis et Canonicis ecclesiae cathedralis defunctis ex lege ejusdem codicis cap. 37.

Caput XI.

De Anniversariis stricte sumptis.

42. Anniversarium stricte sumptum vel proprie dictum est Missa de Requie cum cantu, quae die anniversaria ab obitu vel depositione vel alia in perpetuum statuta celebratur. Ex qua definitione jam patet, Anniversaria stricte sumpta in novo jure liturgico non parum differre ab Anniversariis in disciplina veteri. Quae differentia magis adhuc clarescet ex subsequentibus.

§ 1. Regulae generales circa Anniversaria stricte sumpta.

43.—1. Ut Anniversaria stricte seu vere sint talia et suis fruantur privilegiis, non requiritur, ut sint fundata et quotannis celebranda, sed sufficit, ut sint privata seu ad petitionem viventium agenda.

In veteri disciplina requirebatur, ut Anniversaria quaecunque pro defunctis a testatoribus eorumve haeredibus fuerint fundata ideoque quotannis celebranda; in recentiori vero disciplina hujusmodi fundatio admittitur quidem, sed non requiritur. Ex dispositione enim Decreti generalis diei 2. Dec. 1891 ad 1^a) dantur »Anniversaria sive fundata a testatoribus sive privata ad petitionem viventium.« Unde liquet, non omnia Anniversaria, sicut in jure antiquo, debere quotannis celebrari; minime enim potest exigi, ut consanguinei, parentes, amici vel quicumque ex devotione in defunctos Anniversarii celebrationem postulant, eo ipso se ad id quotannis praestandum obligare debeant. Dicendum

¹) In Collect. auth. nov. sub n. 3753.

ergo, Anniversaria ad petitionem vivorum iisdem gaudere juribus et privilegiis ac alia a testatoribus immediate per seipsos vel mediate per haeredes fundata, et haec esse quotannis celebranda vi foundationis, illa autem toties quoties juste petuntur.

2. Ut Anniversaria stricte seu vere sint talia et suis fruantur privilegiis, requiritur, ut fiant statuta et determinata die.

Urgetur hoc a S. Rituum Congregatione in Decreto generali citato, in quo legitur: »Anniversaria sive fundata a testatoribus pro die obitus aut alia determinata die, sive privata ad petitionem viventium, dummodo pro die obitus etc.« Sit ergo Anniversarium fundatum sit privatum seu non fundatum, semper debet celebrari certa et determinata die, quae in priori casu esse potest dies anniversaria ab obitu (seu depositione) aut alia a fundatore determinata dies, in altero casu autem debet esse dies anniversaria a die obitus seu depositionis dumtaxat.²⁾ Dum ergo Anniversaria privata adstricta sunt ad diem praecise anniversariam ab obitu seu depositione, lex Anniversariis fundatis favet, jus concedendo testatoribus vel, qui illis sufficiuntur, haeredibus,³⁾ ut diem aliam quam ab obitu seu depositione anniversariam, semel pro semper tamen determinandam, pro celebrandis Anniversariis eligere valeant, semper tamen diem mensis, utpote fixam, nunquam Feriam hebdomadae, utpote mobilem.⁴⁾ Anniversaria itaque a testatoribus vel eorum haeredibus fundata diebus determinatis, licet extra obitus seu depositionis diem, vere uti talia considerata sunt et omnibus privilegiis a lege concessis gaudent, Anniversaria autem privata, si extra diem obitus seu depositionis postulentur, vera non censentur nec ullis fruuntur privi-

²⁾ Cf. etiam Decr. S. R. C. 19. Jun. 1700 ad 6. n. 2059. —

³⁾ Opus non est, ut ipse testator de Anniversario immediate per se disponat, quum satis quoque sit, ut de eodem disponant haeredes, ex testatoris tamen voluntate; quod enim per alium quis facit, perinde est ac si faciat per seipsum. — ⁴⁾ Eph. Lit. 1899 pag. 522.

legiis. Si pro pluribus defunctis, qui non uno eodemque die decesserunt, cumulative celebrandum sit Anniversarium, eligenda est dies vere anniversaria ab obitu seu depositione unius saltem.⁵⁾

3. In determinanda die Anniversarii computari potest incipiendo vel a die obitus vel a die depositionis.

Etiam haec regula a laudato Decreto generali traditur, in quo S. Rituum Congregatio expresse declarat, »diem anniversarium pro defunctis necnon dies tertium, septimum et trigesimum tam a die obitus quam a die depositionis computari posse.« Recole dicta n. 36. ad 2. Si ergo dies anniversaria ab obitu sit impedita, Anniversarium computari potest a die depositionis, quod in jure antiquo non licebat.⁶⁾ Sed etiam si nullum adsit impedimentum in die anniversaria ab obitu, computare licet a die depositionis.

4. Anniversaria stricte sumpta, ut in Duplicibus et aequivalentibus possint celebrari suisque fruuntur privilegiis, debent fieri cum cantu.

Declarat enim S. Rituum Tribunal in allato Decreto generali, »Anniversaria seu Missas cum cantu pro defunctis . . . non comprehendi in generali Decreto diei 5. Aug. 1662«, prohibenti scilicet Missas de Requie in Duplicibus. Ergo Anniversaria permittuntur in Duplicibus et aequivalentibus, dummodo celebrentur cum solemnitate extrinseca vel saltem cum cantu. Quod valet de Anniversariis celebrandis in quibuscunque ecclesiis, etiam pauperrimis et ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat et sine cantu. Etenim privilegium concessum ecclesiis hujusmodi, celebrandi scilicet ex testatorum dispositione recurrente eorum obitus die Anniversaria sine cantu in Duplicibus, revocatum censendum est ex quo

⁵⁾ Eph. Lit. 1897 pag. 532. Cf. S. R. C. 5. Mart 1870 ad 5 n. 3213. — ⁶⁾ Decr. 21. Jul. 1855 n. 5220 prohibens computum a die depositionis e nova Collectione authentica expunctum est ideoque valore suo destitutum.

respectiva dispositio respectivi Decreti exulavit e nova Collectione authentica.⁷⁾ In aprico ergo est, Missae Anniversarii cum cantu nunquam substitui posse Missam lectam de Requie, quippe quae non permittitur nisi diebus ritus duplici inferioris. Quapropter semper intelligenda est Missa cum cantu, quotiescunque in Decretis vel Rubricis sermo est de Anniversariis.

5. Unum tantum Anniversarium cum cantu pro eodem defuncto in eadem ecclesia privilegiatum est in Duplicibus.

Non possunt plura Anniversaria privilegiata fieri diversis diebus duplicibus pro eodem defuncto in eadem ecclesia. Aut enim Anniversarium est fundatum aut privatum. Si est privatum, legitime celebrari non potest nisi die anniversaria ab obitu seu depositione, secluso impedimento liturgico. Sed semel homo moritur, semel sepelitur et insuper dies obitus et sepulturae liturgice unam tantum diem constituunt; ergo non nisi una potest esse dies legitima pro celebrando Anniversario, de quo sermo. — Si est fundatum, tunc celebrari debet, lege sic disponente, »die obitus aut alia determinata die«,⁸⁾ hoc est, die obitus (seu depositionis) uti supra, si vero haud die obitus seu depositionis, alia a fundatore vel, ejus nomine, ab haeredibus determinata, nequaquam vero utraque die. Legislator enim loquitur modo disjunctivo adhibendo particulam *aut*, non modo conjunctivo utendo particula *et* vel simili. Non possunt ergo in eadem ecclesia pro eodem defuncto in Duplicibus celebrari duo Anniversaria fundata distinctis diebus, alterum recurrente die ejus obitus, alterum alia determinata die, etsi forte fundator ita ordinaverit.⁹⁾ Possunt tamen duo Anniversaria diversi generis fieri in Duplicibus diebus distinctis, unum privatum die obitus, alterum fundatum alia die determinata.

Eo minus duo vel plura Anniversaria privilegiata eodem die ritus duplicis pro eodem defuncto cele-

⁷⁾ Coll. Decr. 19. Jun. 1700 ad 9. n. 3565. in antiqua et n. 2059. in nova Collectione. — ⁸⁾ Decr. gen. 2. Dec. 1891 ad 1. n. 3753. — ⁹⁾ Eph. Lit. 1898 pag. 510. seq.

brari possunt in eadem ecclesia. Si enim Missa maxime privilegiata, nimirum Missa exequialis solemnis, unica tantum in Duplicibus permittitur eodem die in eadem ecclesia, uti supra 18. ad 4. dictum est, a fortiori non conceduntur sub iisdem conditionibus plura Anniversaria, utpote minus privilegiata. Nihil tamen obstat, quominus in Festis Duplici inferioribus plures Missae celebrentur de die anniversaria pro eodem defuncto in eadem ecclesia, sive cum cantu sive absque eodem. Et pariter illicitum non est, pro eodem defuncto plura Anniversaria, in diversis tamen ecclesiis, fundare vel celebrare eodem die, servatis servandis.¹⁰⁾ Unde fieri possunt duo Anniversaria pro aliquo defuncto in obitus ejus die anniversaria, alterum in loco ejus obitus, alterum in ejus loco natali.

§ 2. *Privilegia Anniversariorum stricte sumptorum.*

44. Quaenam sunt privilegia Anniversariorum stricte talium?

1. Privilegium rarioris impedimenti. Etenim ritus duplex, sive sit minor sive major, haec Anniversaria non valet impedire, sed tantum ritus classicus. Possunt ergo celebrari in Festis duplicibus minoribus et majoribus, quae non sunt de praecepto, ac in Vigilia Epiphaniae.¹⁾

2. Privilegium anticipationis et translationis in casu impedimenti liturgici.

3. Privilegium unius Orationis; accensentur enim Anniversaria Missis de Requie solemnibus sensu n. 9. exposito, quibus competit jus unius Orationis.

45. Quibus diebus impediuntur Anniversaria stricte sumpta?

1. Festis primae et secundae classis, sive sint de praecepto sive non.

2. Dominicis omnibus sine exceptione necnon Festis de praecepto quibuscunque.

¹⁰⁾ Eph. Lit. 1900 pag. 550. n. 3.

¹⁾ Decr. gen. 2. Dec. 1891 ad 1. n. 3753, et 9. Maji 1857 ad 2. n. 3049; Eph. Lit. 1894 pag. 238.

3. Infra Octavas privilegiatas, nempe Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et ss. Corporis Christi.

4. Feriis privilegiatis, nempe Feria quarta Cinerum et omnibus Feriis hebdomadae majoris.

5. Vigiliis privilegiatis duobus, videlicet Nativitatis Domini et Pentecostes.

6. Tempore expositionis solemnis ss. Eucharistiae necnon privatae ex causa publica. Recole n. 7.

7. Feriis Rogationum in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, secundum dicta n. 8.

Notamus, dies excludentes Anniversaria nullam admittere exceptionem, etsi agatur de Anniversariis celebrandis pro rege vel magno principe.²⁾

46. Quid faciendum in casu impediti?

Si Anniversarium occurrat in die liturgice impedita, non licet propterea omittere Missam de Requie et celebrare ejus loco Missam Officio diei conformem cum applicatione Sacrificii ad intentionem testatoris vel petentis. Relege n. 4. ad 1. Sed celebrari omnino debet Missa de Requie de Anniversario, quae quum in casu impedita sit, S. Rituum Congregatio benigne indulsit, ut in proximam subsequentem diem liberam transferri vel in proximiori antecedenti die similiter libera anticipari possit. Liberos autem declarat eadem Congregatio dies, qui non recensentur inter dies Anniversaria impediētes.³⁾

In die translata vel anticipata Anniversarium iisdem gaudet privilegiis et juribus, ideoque juxta idem formulare et eodem ritu est celebrandum ac in ipsa die anniversaria, si impedimentum non occurrisset.⁴⁾ Si vero ex causa non liturgica Anniversarium anticipatur vel transfertur, vel si prima dies libera sive in anticipatione sive in translatione negligitur, privilegium amittitur et Anniversarium nonnisi diebus ritus duplici inferioris celebrari poterit juxta leges pro Missis quotidianis de Requie statutas.

²⁾ S. R. C. 20. Nov. 1677 n. 1605. — ³⁾ Decr. gen. n. 3753. ad 2. — ⁴⁾ S. R. C. 5. Jul. 1698 ad 11. n. 2002.

§ 3. *Ritus Anniversariorum stricte sumptorum.*

47.—1. Solemnitatem quod attinet, jam supra in regula generali quarta dictum est, Missam de Requie pro Anniversario in Festo duplici majori aut minori et in Vigilia Epiphaniae celebrari posse sub praecisa conditione, quod sit solemnis vel saltem cantata. Missa lecta in ipsa Anniversarii die non conceditur nisi permittente ritu, nisi scilicet Officium diei sit ritus semiduplicis vel simplicis et tunc celebratur sicut Missa privilegiata cum unica Oratione propria.

2. Formulare Missae Anniversarii variat. Sumitur pro defuncto Papa, Cardinali, Episcopo prima Missa ex quatuor in missali assignatis;¹⁾ pro defuncto Sacerdote prima vel secunda Missa²⁾ vel etiam tertia;³⁾ pro defuncto clerico vel laico tertia Missa. Sed in omnibus his casibus eligenda est Oratio dignitati et conditioni defuncti conveniens, uti mox dicitur. In casu illegitimae translationis, puta ob causam non liturgicam, vel ultra primam diem liberam, Anniversarium iuribus et privilegiis suis destituitur et Missa sumenda est quarta.⁴⁾

3. Oratio in Anniversariis semper unica⁵⁾ dicitur, sive fiat Missa cum cantu sive, permittente ritu, sine cantu. Recole n. 9. ad 3. Quae unica Oratio illi animae respondeat oportet, pro qua Sacrificium offertur, et dicatur in numero singulari, quando pro una offertur Anniversarium.⁶⁾ Hinc Oratio Anniversarii pro defuncto Papa erit *Deus qui inter summos Sacerdotes*, quae est prima inter diversas Orationes pro defunctis assignatas post Missam quartam; pro Cardinali Oratio *Deus qui inter apostolicos Sacerdotes*, quae est secunda inter diversas, sed mutatis mutandis,⁷⁾ prout fuerit Cardinalis defunctus Episcopus vel Presbyter, in

¹⁾ Rub. spec. 1 et 2. ad Orat. divers. pro defunct.; S. R. C. 5. Mart. 1870 ad 5. n. 3213. — ²⁾ S. R. C. 29. Jan. 1752 ad 8. n. 2417. — ³⁾ S. R. C. n. 3213. ad 5. — ⁴⁾ S. R. C. 9. Maji 1857 ad III. 1. n. 3049. — ⁵⁾ Decr. gen. 30. Jun. 1896 ad 1. n. 3920; Rub. gen. tit. V. n. 3. — ⁶⁾ Rub. spec. post 3. Miss. — ⁷⁾ Rub. spec. 2. ad Orat. divers. pro defunctis.

qua Oratione pro Presbytero Cardinali, sed Episcopo, dicendum erit *famulum tuum N. Presbyterum* (non: Episcopum) *Cardinalem pontificali etc.*; ⁸⁾ pro Episcopo non Cardinali secunda inter diversas *Deus qui inter apostolicos Sacerdotes* vel tertia *Da nobis Domine*; pro simplici Sacerdote praecipitur ⁹⁾ Oratio secunda inter diversas *Deus qui inter apostolicos Sacerdotes*, sed ubi dicitur *pontificali* dicatur *sacerdotali* et pro *Pontificis* dicatur *Sacerdotis*; ¹⁰⁾ pro clericis et laicis tandem optime congruit Oratio Missae tertiae, etsi Anniversarium fundatum sit pro alia quam obitus seu depositionis die, ¹¹⁾ nisi magis conveniat alia ex diversis Orationibus e. g. pro defuncto patre vel matre ipsiusmet Celebrantis. ¹²⁾

Anniversario anticipato vel translato ob impedimentum liturgicum variari non debet Oratio, sed dicitur eadem et ita, quae et prout in die propria Anniversarii. Amoto autem Anniversario a sede sua propria ob impedimentum non liturgicum vel ultra primam diem liberam sive in anticipatione sive in translatione, dicuntur tres Orationes sicut in Missis quotidianis defunctorum, omissa semper Oratione propria Missae Anniversarii, utpote quae non verificatur.

4. Sequentia semper dicenda est, juxta dicta sub numero 12.

Caput XII.

De Anniversariis late sumptis.

48. Praeter Anniversaria stricte sumpta, quae celebrari debent in die stricte anniversaria obitus seu depositionis vel alia in perpetuum determinata et fixa, dantur etiam alia Anniversaria, quae extra diem obitus seu depositionis et absque ulla determinata assignatione diei celebrari valent, Anniversaria late sumpta

⁸⁾ S. R. C. 23. Sept. 1885 ad 4. n. 3642. — ⁹⁾ S. R. C. 29. Jan. 1752 ad 8. n. 2417. Non est ergo sumenda in Anniversario Sacerdotis Oratio quarta *Praesta quaesumus*. — ¹⁰⁾ Rub. spec. l. c. n. 2. — ¹¹⁾ S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 3. in Labacen. — ¹²⁾ Cf. Eph. Lit. 1900 pag. 614.

ideo nuncupata. Conceduntur haec Anniversaria cum aliqua restrictione, sicut patet ex Decreto generali¹⁾ diei 2. Dec. 1891 ad 5: »De speciali gratia permittitur, ut in Duplicibus minoribus celebrari quoque possint Anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quae a Religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus aut ab aliis quibuscunque piis Sodalitatibus, pro Confratribus defunctis semel in anno fieri solent, necnon illa, quae pro Fidelium pietate infra Octavam omnium Fidelium defunctorum locum habent, exceptis diebus supra memoratis.«

Ex dispositione hujus Decreti Anniversaria late sumpta duplicis generis sunt: 1. concessa in favorem defunctorum confratrum religiosarum communitatum, Canonicorum collegiorum, confraternitatum aliarumque piarum sodalitatum; 2. concessa in favorum Fidelium defunctorum, pro quibus ex Fidelium pietate infra Octavam omnium Fidelium defunctorum offeruntur.

Quoad primi generis Anniversaria notandum est:

- a) ipsa respicere non individuum sed communitatem, sodalitatem, societatem, ita ut celebrari nequeant pro iis, qui respectivae communitati non sunt adscripti;²⁾
- b) privilegium ea celebrandi concessum esse quibuscunque societatibus religiosis et piis, non societatibus civilibus, ideoque non posse extendi ad societates musicorum, venatorum, sartorum, hortulanorum aliorumque hujus generis, nisi et ad pietatis finem sint erectae, neque ad familias christianas, quia singulae familiae non constituunt societatem vel sodalitatem in sensu Decreti;³⁾
- c) ea celebrari posse ad petitionem communitatis, uti supra, semel tantum in anno, non die obitus, neque semel pro semper fixa, sed libera.

Quoad secundi generis Anniversaria observandum est: a) eorum celebrationem adstrictam esse ad Octavam omnium Fidelium defunctorum, videlicet a die 2. Novembris usque ad 9. ejusdem mensis inclusive, ideoque

¹⁾ In nova Collectione authentica sub n. 3753. — ²⁾ Cf. Eph. Lit. 1899 pag. 673. et 1900 pag. 646. — ³⁾ Eph. Lit. 1901 pag. 234. seq.

extra ⁴⁾ hoc tempus ea esse illicita in Duplicibus; *b)* infra hoc tempus ea celebrari posse pro quibuscunque fidelibus defunctis, sive omnibus sive singulis, sive ad coetum aliquem pertinentibus sive non, quia quum in ipsa die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum intentio esse possit ad libitum, ⁵⁾ eo magis id dicendum est de diebus infra Octavam ejusdem; *c)* ea posse requiri etiam a privatis personis, qui nulli adscripti sunt societati; ⁶⁾ *d)* eadem Anniversaria pro eodem (iisdem) defuncto (defunctis) infra dictum tempus non semel tantum, sed pluries offerri posse servatis de jure servandis, quia quoad hujus generis Anniversaria in Decreto nulli ponuntur limites.

49. Quibus privilegiis gaudent?

Sunt quidem minus privilegiata quam Anniversaria stricte sumpta, nihilominus iis conceduntur a lege quaedam privilegia:

1. Privilegium rarioris impedimenti. Permittuntur enim in Festis duplicibus minoribus, ita ut prohibeantur in Festis duplicibus majoribus iisque omnibus diebus, quibus prohibentur Anniversaria stricte talia.

2. Privilegium unius Orationis, quod ceterum competit cunctis Missis de Requite privilegiatis. Recole dicta n. 9.

3. Quod denique jus translationis attinet, dicendum videtur, rationem translationis non existere. Quum enim haec Anniversaria non habeant diem fixum, occurrente aliquo impedimento liturgico dies celebrationis quotannis determinari potest, qui magis convenit, pro nihilo habendo praecedentium annorum dispositionem vel introductam consuetudinem. ⁷⁾ Si alicubi infra Octavam omnium Fidelium defunctorum dies omnes sint impediti, quod vix evenire poterit, Anniversaria hujus generis omittenda sunt, quippe quae restringuntur ad hanc Octavam in casu impeditam.

⁴⁾ E. g. infra Octavam Dedicationis ecclesiae, vel Titularis ejusdem, vel in uno ex Quatuor Temporibus. S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 4. in Labacen. — ⁵⁾ S. R. C. 4. Aug. 1663 ad 9. n. 1275. — ⁶⁾ Eph. Lit. 1900 pag. 549. — ⁷⁾ Ibid. pag. 644.

50. Quo ritu celebrantur?

Etiam Anniversaria late sumpta, ut privilegiis suis gaudeant, debent celebrari cum cantu, ideoque esse vel solemnia vel saltem simpliciter cantata; in Decreto enim agitur de Anniversariis cum cantu, non de aliis. Missae lectae de Requie non sunt privilegiatae et celebrari valent nonnisi diebus et ritu, quibus et quo celebrantur Missae quotidianae de Requie.

Formulare sumitur pro defuncto Episcopo primum cum Oratione conveniente ex diversis pro defunctis. Idem formulare sumitur in Anniversario pro Episcopis et Canonicis vel aliis Sacerdotibus simul, et dicitur Oratio propria et conveniens, quae est prima in Missa quarta. Pro solis Canonicis vel aliis Sacerdotibus, secluso Episcopo, sumitur regulariter tertia Missa vel, si placeat, quaecunque alia cum Oratione conveniente.⁸⁾ Pro laicis sumitur tertium formulare⁹⁾ vel quartum cum Oratione conveniente *Deus veniae largitor* vel *Fidelium Deus*,¹⁰⁾ seclusa omni in casu Oratione *Deus indulgentiarum*, quae non verificatur.

Sequentia semper dicitur, quippe quae in Missis privilegiatis nunquam omittitur. Vide n. 12.

Caput XIII.

De Anniversariis latissime sumptis.

51. Licet in praecedentibus docuerimus, Anniversaria late sumpta esse ea, quae extra diem obitus seu depositionis et absque ulla determinata assignatione diei celebrantur, exinde non sequitur, quascunque Missas de Requie, sive fundatas sive petitas, extra diem obitus seu depositionis, vulgo Anniversaria nuncupatas, vera esse Anniversaria iisque adnumerari posse. Anniversaria late sumpta quippe sunt duplicis generis, uti supra ex-

⁸⁾ S. R. C. 20. Aug. 1901 ad 1. Cf. Eph. Lit. 1901 pag. 473. et 1898 pag. 36. — ⁹⁾ S. R. C. 5. Mart. 1870 ad 5. n. 3213. —

¹⁰⁾ Eph. Lit. 1898 pag. 521.

posuimus. Quaecunque ergo Missae extra horum limites versantur, Anniversaria late sumpta non sunt, etsi aliquando ita vocentur.

Hujusmodi Anniversaria sunt Missae, quae fundantur, neque pro die obitus aut alia certa fixaque die, sed pro die prorsus indeterminata, neque pro Octava omnium Fidelium defunctorum, sed pro alio quolibet anni tempore, e. gr. pro Quadragesima, pro Quatuor Temporibus, pro mense decessus defuncti, circa aliquod Festum etc.¹⁾ Alia sunt, quae petuntur a consanguineis aut amicis defuncti, celebranda non in ipsa obitus seu depositionis die, sed circa hujusmodi diem, juxta commoditatem celebrantis vel petentis.

Per se patet, praefatas Missas, licet fiant cum cantu, non esse Anniversaria vere talia seu stricte sumpta, cum desit nota distinctiva horum Anniversariorum, nempe determinatio diei celebrationis.²⁾ Sed neque Anniversaria late sumpta nuncupari merito possunt, non primi generis, quia, uti supponitur, non celebrantur ex petitione alicujus Religiosae communitatis, Canoniorum collegii vel piaae sodalitatis pro confratribus, neque secundi generis, quia, uti iterum supponitur, non celebrantur infra Octavam omnium Fidelium defunctorum, sed alio anni tempore sine praefixione dierum. Ad summum nuncupari possent Anniversaria in sensu latissimo, praesertim si quotannis vel fere quotannis celebrentur.

Quum itaque dictae Missae non sint Anniversaria neque stricte neque late sumpta, clarescit, ea perperam ita vocari et privilegiis Anniversariis a lege concessis minime gaudere.³⁾ Quapropter absque speciali Indulto non possunt celebrari in Duplicibus neque cum unica Oratione, sed omnino assimilantur Missis de Requite quotidianis, quarum normas sequuntur.

¹⁾ Cf. S. R. C. 8. Aug. 1835 ad 1. n. 2733. — ²⁾ Vide artic. II. cap. 11. n. 43. reg. gen. 2. — ³⁾ S. R. C. ibid. et 23. Aug. 1766 ad 1. n. 2482.

Articulus tertius.

De Missis non privilegiatis seu quotidianis Defunctorum.

Caput I.

De Missis quotidianis Defunctorum in genere.

52. Missae quotidianae Defunctorum vocantur illae Missae de Requie, quae celebrantur diebus non privilegiatis. Dies non privilegiati pro defunctis sunt omnes dies extra diem Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, diem obitus seu depositionis, diem quo celebratur Missa post acceptum nuntium obitus alicujus, diem ab obitu seu depositione tertium, septimum, trigesimum et diem anniversarium sive stricte sive late sumptum. Relege **13.** Unde etiam non privilegiatae nuncupantur, licet earum quaedam nonnullis gaudeant privilegiis, uti ex sequentibus patebit.

Vocantur etiam Missae de Requie privatae, non eo sensu, ac si semper privatim i. e. absque ulla solemnitate extrinseca forent celebrandae, quum certum sit, eas posse celebrari aliquando etiam solemniter, puta cum cantu, Ministris sacris et thure, quin ideo cessent esse privatae; sed dicuntur privatae nonnisi respectu illarum Missarum de Requie, quae diebus defunctorum solemnibus seu privilegiatis celebrantur et solemnes vocantur propter solemnitatem intrinsecam, licet aliquando tantum legantur.

53. Quibus diebus impediuntur?

Missae quotidianae defunctorum prohibentur iisdem ac Missae votivae privatae diebus,¹⁾ nempe:

1. Dominicis per annum et Festis de praecepto cujuscunque ritus et classis.

¹⁾ Decr. gen. 30. Jun. 1896 ad III. 2. n. 3922.; Rub. gen. miss. tit. V. n. 2.

2. Festis duplicibus, etiam non praeceptis, sive sit duplex primae sive secundae classis, duplex majus aut minus.

3. Infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et ss. Corporis Christi.

4. Feriis privilegiatis, nempe Feria quarta Cinerum et omnibus Feriis hebdomadae majoris.

5. Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini,²⁾ Epiphaniae et Pentecostes.

6. Feriis Rogationum in ecclesiis ad processionem adstrictis unam tantum Missam habentibus. Recole dicta n. 8.

7. Tempore sollemnis expositionis ss. Sacramenti necnon privatae ex causa publica in omnibus altaribus respectivae ecclesiae, occasione expositionis privatae ex causa non publica autem nonnisi in altari expositionis. Vide n. 7.

54. Quibus diebus permittuntur?

Missae quotidianae defunctorum permittuntur iisdem ac Missae votivae privatae diebus; nempe:

1. In Festis semiduplicibus et simplicibus.

2. Infra Octavas non privilegiatas seu communes diebus, quorum Officium est de die infra Octavam aut de Festo semiduplici.

3. In Feriis non privilegiatis,³⁾ exceptis Feriis Rogationum in casu supra ad 6. allato.

4. In Vigiliis minoribus seu non privilegiatis, quales sunt omnes Vigiliae praeter illam Nativitatis Domini, Epiphaniae et Pentecostes.

55. Quo ritu celebrantur?

1. Missae quotidianae seu non privilegiatae defunctorum sunt ritus semiduplicis vel simplicis. Unde fit, ut ad normam Missarum dicti ritus, sive fiant cum cantu sive non, semper plures habeant Orationes,⁴⁾ et in

²⁾ S. R. C. 31. Jul. 1665. ad 4. n. 1322. — ³⁾ Feriae non privilegiatae sunt omnes Feriae praeter Feriam quartam Cinerum et Ferias hebdomadae majoris. — ⁴⁾ Decr. gen. 30. Jun. 1896 ad 2. n. 3920; Rub. gen. miss. tit. V. n. 4. Cf. ibid. tit. IX. n. 2. seq. et n. 12.

Officio defunctorum, quod occasione earum celebrationis recitatur, antiphonae non duplicentur.

2. Exstat formulae speciale in missali pro his Missis celebrandis, scilicet quartum et ultimum in ordine, quod inscribitur *In Missis quotidianis Defunctorum*. Loco Epistolae et Evangelii hujus formularis sumi potest Epistola et Evangelium ex alia Missa pro defunctis, juxta Rubricam specialem in fine hujus Missae.

3. Quoad Orationes in novo jure liturgico⁵⁾ statuitur, in his Missis, sive lectis sive cum cantu, ad minimum tres Orationes semper esse dicendas. Distingue tamen inter Missas cum cantu et sine cantu.

In Missis quotidianis cum cantu tres Orationes sumi debent, nec plures nec pauciores, diverso tamen ordine, prout Missa celebratur vel pro certo designatis defunctis vel pro defunctis in genere. Si a) Missa celebratur pro defuncto vel defuncta vel defunctis certo designatis,⁶⁾ primo loco dicenda erit Oratio conveniens huic defuncto vel defunctae vel his defunctis certo designatis, pro quibus Missa offertur, eligenda ex Orationibus diversis, quae in missali post Missam quartam de Requie habentur. Secundo loco sumenda erit Oratio ad libitum, quam Celebrans pro suo beneplacito eligere poterit ex iisdem Orationibus diversis pro defunctis. Tertio loco vero poni debet Oratio pro omnibus defunctis *Fidelium Deus*. — Si vero b) Missa celebratur pro defunctis in genere seu pro defunctis non certo designatis, tunc dici debent tres Orationes, quae pro Missis quotidianis in missali prostant eodemque ordine, quo sunt inscriptae, ergo primo loco Oratio pro defunctis Episcopis et Sacerdotibus *Deus qui inter apostolicos Sacerdotes*, se-

⁵⁾ Decr. gen. ibid. ad 2. 3. 4.; Rub. gen. miss. l. c. —

⁶⁾ Defunctus vel defuncti certo designati sunt non tantum ii, quorum nomina sciuntur, sed etiam ii, quorum persona vel conditio ex certis circumstantiis innotescat, e. g. pro defunctis consanguineis vel benefactoribus vel amicis (Oratio 9.), pro defunctis fundatoribus (Oratio 9. 11. 12.), pro amico vel amica (Oratio 5. vel 6.), pro defuncto Sacerdote quodam (Oratio 4.).

cundo loco Oratio pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus *Deus veniae largitor*, tertio loco Oratio pro omnibus fidelibus defunctis *Fidelium Deus*. Eaedem tres Orationes eodemque ordine dicendae sunt etiam tunc, quando Sacerdos permittente ritu celebrat Missam quotidianam de Requie ad intentionem dantis, cujus tamen intentio nescitur, an pro vivis sit an pro defunctis.⁷⁾

In Missis quotidianis sine cantu seu lectis pariter saltem tres Orationes dici debent, sed plures, si placuerit, dici possunt. Si Celebrans tres tantum dicat Orationes, observet omnia, quae modo dicta sunt de Orationibus, in Missis quotidianis cum cantu. Si vero dicere voluerit plures quam tres, curabit: *a)* ut servetur numerus impar cum aliis praescriptis Orationibus, dicendo scilicet Orationes numero quinque vel septem, *b)* ut Oratio pro omnibus defunctis *Fidelium Deus* semper ultimo loco dicatur, in casu ergo loco quinto vel septimo, interpolando scilicet ex Orationibus diversis pro defunctis Orationes ad libitum post secundam *Deus veniae largitor* et ante ultimam *Fidelium Deus*, servato pro Orationibus ad libitum ordine missalis.

4. Sequentia *Dies irae* in Missis quotidianis de Requie cum cantu semper dicenda est, in Missis quotidianis lectis vero dici vel omitti potest ad arbitrium Celebrantis.⁸⁾ Vide n. 12.

Caput II.

De Missis quotidianis Defunctorum in specie.

56. Jam supra n. 52. innuimus, inter Missas quotidianas seu non privilegiatas de Requie esse nonnullas, quae quibusdam gaudent privilegiis, quin propterea ad Missas de Requie stricte privilegiatas pertineant

⁷⁾ Eph. Lit. 1898 pag. 214.; 1902 pag. 661. sq. — ⁸⁾ Rub. gen. miss. tit. V. n. 5.; Decr. gen. 30. Jun. 1896 ad 4. n. 3920.

aut ad harum normam omnino ordinentur. Privilegium enim, quod illis per speciale Indultum apostolicum conceditur, in eo consistit, ut etiam in Duplicibus celebrari valeant. Quo privilegio autem nequaquam efficitur, ut Missae ipsae proprio sensu privilegiatae evadant jusque acquirant ad ritum duplicem et consequenter ad unicam Orationem, sed id tantum, ut hae Missae, per se non privilegiatae, celebrari nihilominus possint diebus permittentibus regulariter nonnisi Missas privilegiatas. Sunt et manent ergo vere et proprie Missae quotidianae, harum normas omnino sequentes Hujusmodi Missae sunt: *a*) Missae de Requite in sacellis et oratoriis sepulcretorum seu coemeteriorum, *b*) Missae de Requite cum cantu indultae in Duplicibus aliquoties infra hebdomadam, *c*) Missae de Requite indultae in Oratoriis privatis Praelatorum. Hae Missae, de quarum singulis in subsequentibus tribus capitibus acturi sumus, primum ordinem Missarum quotidianarum de Requite constituunt et Missis privilegiatis Defunctorum proxime accedunt.

Secundi ordinis sunt illae Missae quotidianae de Requite, quae non sunt indultae in Duplicibus, ideoque non valent celebrari nisi in Semiduplicibus vel Simplicibus. Hujus generis sunt omnes Missae quotidianae Defunctorum praeter modo enumeratas, sive sint fundatae sine praefixione dierum sive adventitiae, celebrandae scilicet vel ex pietate ipsius Celebrantis vel ex petitione stipendium offerentis. Huc pertinent etiam Missae conventuales, a Rubricis principales nuncupatae, quae prima die mensis libera vel Feria secunda cujusvis hebdomadae pariter libera pro defunctis ex mandato Rubricarum celebrantur. Etiam de his duabus in specie nobis est disserendum.

Caput III.

Missae de Requite in sepulcretorum Sacellis et Oratoriis.

57. Ad juvamen Fidelium defunctorum et ad spirituale solamen vivorum S. Rituum Congregatio die

19. Maji 1896¹⁾ decrevit: »In quolibet sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo Missas, quae inibi celebrari permittuntur, posse esse de Requie diebus non impeditis a Festo duplici primae vel secundae classis, a Dominicis aliisque Festis de praecepto servandis, necnon a Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis.«

Quod Decretum ut recte intelligatur, sciendum est, in quibusdam regionibus, praesertim in Italia, morem vigere, construendi non raro in sepulcretis seu coemeteriis parva sacella super sepulcrum alicujus particularis defuncti aut super sepulcrum commune alicujus familiae vel Religiosae communitatis. Quibus sacellis, si ornata sint altari portatili altareque ipsum legitimo a sepulcris distet spatio, nonnunquam conceditur Indultum, ut inibi quibusdam diebus celebrari valeat sacrosanctum Missae sacrificium.

Conditio, sine qua non conceditur facultas Missas celebrandi in dictis similibusque sacellis, est legitima distantia sepulcri vel sepulcrorum ab altari. Legitimam distantiam autem declaravit S. Rituum Congregatio esse tres cubitos seu unum circiter metrum longitudinis et hanc distantiam sepulcrorum ab altari sufficere.²⁾ Sed metrum hic intelligi vult Congregatio mensuram longitudinis, non profunditatis, adeo ut unius circiter metri mensura respiciat, non profunditatem sepulturae subtus altare, sed distantiam lateralem ab altari, hoc est a stipite altaris.³⁾ Si enim dicta mensura profunditatem respiceret, vere cadavera sepulta manerent subtus altare, quod est prohibitum. Cautum enim semper fuit ab Ecclesia, ne Fidelium corpora, nisi fuissent Sanctorum, praecipue Martyrum,⁴⁾ sepelirentur subter altaribus, quum indecens sit omnino, ut sacrosanctum Missae sacrificium celebretur super cadavera, quae

¹⁾ Decr. confirmatum a Leone XIII. die 8. Jun. 1896, in auth. Collect. nova sub n. 3903. — ²⁾ S. R. C. 12. Jan. 1897 ad 2. n. 3944. — ³⁾ Non a gradibus vel pradella seu suppedaneo. Nam Decr. S. R. C. 27. Apr. 1877 in Beneventana expunctum est e novissima Collectione, quia praescribebat distantiam trium cubitorum a gradibus altaris. Cf. Eph. Lit. 1898 pag. 699. — ⁴⁾ Eph. Lit. 1889 pag. 144. et 1890 pag. 245.

sancta non sunt, imo reprobata esse possunt. Subtus altare igitur cadavera non debent sepeliri et si fuerint ibi sepulta, etsi plura habeantur metra profunditatis, Missa in eo celebrari nequit.⁵⁾ Quod tamen intelligendum est de altari exstructo immediate super pavementum, sub quo jacent corpora defunctorum. Si vero altare separatum sit a loculis mortuorum per cameram lapideam cryptae, in cujus pavimento quiescunt mortui, licitum est in praedicto altari, cryptae superstructo, Missae sacrificium peragere, quamvis in linea recta sub altari sint cadavera in pavimento cryptae.⁶⁾

58. Hisce praemissis circa praefatum Decretum sequentia notamus:

1. Privilegium singulare conceditur hoc Decreto, celebrandi scilicet in sacellis sepulcretorum Missas de Requite in Festis duplicibus majoribus et minoribus, exceptis nonnisi Festis duplicibus primae et secundae classis, Dominicis, Festis quibuscunque de praecepto, Octavis privilegiatis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et ss. Corporis Christi, Feriis privilegiatis nempe quarta Cinerum et Feriis omnibus hebdomadae majoris, necnon Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini et Pentecostes. Vigilia Epiphaniae non videtur excipienda, quia non est stricte privilegiata.

2. Non in quocunque sepulcreti sacello datur permissio celebrandi Missas de Requite dictis diebus, sed in iis tantum, quae aliunde habent Indultum speciale pro celebratione Missarum. In Decreto enim sermo est de Missis, »quae inibi celebrari permittuntur«. Sacella igitur, in quibus nullae Missae celebrari permittuntur, nec per hoc Decretum acquirunt jus, ut Missae de Requite inibi celebrari valeant.

3. Sed neque in sacellis, quae aliunde gaudent Indulto celebrationis Missarum, licitum est plures quam indultae sunt Missas de Requite celebrare. Privilegium enim has Missas celebrandi in Decreto citato restrin-

⁵⁾ S. R. C. 7. Jul. 1766 n. 2479; 11. Jun. 1629 n. 508; 9. Jun. 1657 n. 1030; item n. 1333. ad 5; Eph. Lit. 1901 pag. 162. ad b. — ⁶⁾ S. R. C. 27. Jul. 1878 ad 2. n. 3460. et 18. Jul. 1902 ad 6. De Queretaro (Eph. Lit. 1902 pag. 498.).

gitur ad Missas, »quae inibi celebrari permittuntur«. Quotquot ergo Missae in sacello per hebdomadam vel mensem permittuntur ex Indulto speciali, totidem esse possunt de Requite diebus non impeditis ex Indulto generali vigore Decreti suprarrelati.

59. Privilegium hoc primo ad sacella seu oratoria privata sepulcretorum limitatum, demum ad ecclesias et oratoria publica sepulcretorum extensum est, ita ut in praesenti etiam in oratoriis publicis et in ipsa ecclesia principali coemeterii ex dicto privilegio Missae de Requite in Duplicibus majoribus et minoribus permittantur.⁷⁾ Nequaquam autem favet hoc privilegium: *a)* ecclesiis vel capellis extra coemeterium constructis, etiamsi subter illas ad legitimam distantiam, nempe unius circiter metri ab altari, jaceat cadaver alicujus defuncti;⁸⁾ neque *b)* sacellis, ecclesiis et oratoriis publicis sepulcretorum derelictorum, in quibus olim cadavera sepeliebantur, nunc autem non amplius sepeliri solent;⁹⁾ neque *c)* ecclesiae parochiali, quae circumjacens habet coemeterium, etsi hujusmodi ecclesia in casu evaserit quasi ecclesia sepulcreti.¹⁰⁾

60. Missae in praefatis sacellis non possunt celebrari nisi lectae, quia ex declaratione S. Congregationis Concilii¹¹⁾ sacella coemeteriorum sepulcris adnexa et usui publico non aperta censentur oratoria privata, in quibus Missae cum cantu non permittuntur.¹²⁾ Si vero in sacellis sepulcreti in Missae celebratione non iis tantum, ad quos pertinet, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat, ideoque ipsa ex definitione S. Rituum Congregationis 23. Jan. 1899¹³⁾ habenda sint uti semipublica, fieri possunt in ipsis etiam Missae cum cantu. Quod a fortiori dicendum est de oratoriis publicis et ecclesia principali coemeterii.

⁷⁾ S. R. C. 12. Jan. 1897 ad 1. n. 3944. — ⁸⁾ Ibid. — ⁹⁾ S. R. C. 28. Apr. 1902 ad 1. in Labacen. (Eph. Lit. 1902 pag. 355.). — ¹⁰⁾ Ibid. ad 2. — ¹¹⁾ S. C. Conc. 20. Jan. 1894 ad 1. in Platen. (Eph. Lit. 1894 pag. 117.). — ¹²⁾ Cf. Eph. Lit. 1897 pag. 544. ad VIII; et 1899 pag. 624. ad 2. — ¹³⁾ In auth. Collect. nov. sub n. 4007.

Juxta dicta n. 56. hae Missae, sive celebrentur, uti modo exposuimus, cum sive absque cantu, semper celebrandae sunt ad normam Missarum quotidianarum de Requite. Sunt enim ritus vel semiduplicis vel simplicis, nisi forte celebrentur diebus solemnibus seu privilegiatis defunctorum, quia tunc essent ritus duplicis ideoque iisdem ac istae regulis omnino regerentur.

Caput IV.

Missae de Requite cum cantu aliquoties in hebdomada indultae in Duplicibus.

61. Ob speciales circumstantias Sacra Rituum Congregatio libenter indulgere consuevit, ut quibusdam hebdomadae diebus, licet sint ritus duplicis, Missae de Requite cantari valeant. Indultum, quo hoc privilegium in favorem defunctorum conceditur, recentioribus temporibus regulariter sic sonat:

»Quo facilius satisfieri possit oneribus tum fixis tum adventitiis Missarum de Requite cum cantu celebrandarum . . . Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Ss. Domino Nostro tributis, benigne annuit, ut duobus (tribus) in quavis hebdomada diebus ejusmodi Missae de Requite cantari queant, minime obstante occurrentia Officii ritus duplicis; exceptis omnino a praesenti concessione Duplicibus primae et secundae classis, Festis de praecepto servandis, Feriis, Vigiliis et Octavis privilegiatis.«

62. Super quo Indulto sequentia animadvertimus:

1. Verba Indulti intelligenda esse de Missis quotidianis defunctorum, non de iis, quae celebrantur in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, die vel pro die obitus seu depositionis, die tertio, septimo, trigesimo et anniversario, patet ex tenore ipsius Decreti, quod loquitur de Missis celebrandis »duobus (tribus) in quavis hebdomada diebus«. Nil refert, utrum hae Missae sint fundatae an ad petitionem viventium celebrandae, quum Indultum datum sit, ut »facilius satis-

fieri possit oneribus tum fixis tum adventitiis Missarum de Requie».

2. Privilegium per Decretum suprarelatum concessum consistit in eo, quod Missae quotidianae de Requie, quae regulariter prohibentur in Duplicibus, vigore hujus Indulti permittuntur in Duplicibus majoribus et minoribus, non quidem ubicunque et promiscue, sed in iis tantum parochiis et dioecesibus, quibus Indultum concessum est. Recurrendum est igitur ad sanctum Tribunal, ut gratia hujus privilegii obtineatur.

3. Missae, de quibus agitur, debent esse cum cantu, quum praecise de his, non de aliis, sermo sit in Decreto. Privilegium relatum igitur ad Missas de Requie sine cantu extendere non licet, nisi agatur de Missa die obitus seu depositionis pro paupere defuncto.¹⁾ Si vero alicubi²⁾ privilegium concessum sit, Missas, de quibus sermo, legendi, per se patet, eas posse esse lectas. Privilegia enim tantum valent, quantum sonant.

4. Stante hac conditione, celebrationis scilicet cum cantu, Missae de Requie permittuntur duobus (tribus) hebdomadae diebus ritus duplicis, eaeque plures eodem die et in eadem ecclesia,³⁾ idque etiam in casu, quando infra hebdomadam occurrunt Officia semiduplicita et simplicia, in quibus Missae de Requie per se permittuntur;⁴⁾ quae Officia ergo hoc sub respectu penitus ignorantur.

5. Prohibentur hae Missae: *a)* in Duplicibus classicis, videlicet in Duplicibus primae et secundae classis; *b)* in Dominicis⁵⁾ et Festis quibuscunque de praecepto servandis; *c)* in Feriis privilegiatis, nempe Feria quarta Cinerum et omnibus Feriis hebdomadae majoris; *d)* in Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini et Pentecostes; sed in Vigilia Epiphaniae permittuntur, quia non est

¹⁾ S. R. C. 28. Jan. 1898 n. 3977. — ²⁾ Uti e. g. in archidioecesi Parisiensi ex Indulto 19. Dec. 1872. Cf. Eph. Lit. 1899 pag. 623. — ³⁾ S. R. C. 18. Dec. 1878 ad 2. n. 3472. Per se patet, non posse eadem die in eadem ecclesia cantari plures Missas pro eodem defuncto, quum id neque in die obitus seu depositionis licitum sit in Duplici. — ⁴⁾ S. R. C. ibid. ad 1. et 15. Apr. 1880 n. 3514. — ⁵⁾ Vide artic. I. cap. IV. n. 6.

strictè privilegiata;⁶⁾ *e)* infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi; *f)* in Feriis Rogationum et diebus ad Missam parochialem obligantibus in ecclesiis unam tantum Missam habentibus, juxta dicta n. 8; *g)* tempore solemnis expositionis Sanctissimi necnon privatae ex causa publica, sicut exposuimus n. 7.

6. Si Indultum concessum sit generaliter, sine ulla limitatione, ecclesiis alicujus dioecesis vel parochiae, dicti privilegii participes sunt omnes ecclesiae, tam parochiales quam filiales, etiam ecclesiae Religiosorum exemptorum, omniaque oratoria publica, quae inveniuntur intra limites dioecesis vel parochiae hujusmodi.⁷⁾ Secus dicendum est, si Indultum datum sit cum aliqua restrictione, e. g. pro ecclesiis parochialibus tantum vel pro ecclesia cujusdam coemeterii. Nunquam vero privilegium concessum ecclesiis intelligi potest concessum oratoriis privatis, quia dicta oratoria non veniunt nomine ecclesiarum⁸⁾ et supponi nequit, voluisse legislatorem privilegia data ecclesiis extendere ad oratoria privata, nisi expresse hoc admiserit.

7. Privilegium hoc locale est, non personale; datum enim est non Sacerdotibus, licet hisce indirecte faveat, sed ecclesiis sive totius dioecesis sive particularis parochiae. Exinde sequitur: *a)* omnes Sacerdotes, etiam extraneos, ad respectivas ecclesias confluentes, hoc privilegio uti posse, licet propria eorum ecclesia hujusmodi privilegio careat; *b)* Sacerdotes ecclesiae privilegio ditatae non posse extra ecclesiam propriam canere Missam de Requite in Duplicibus, nisi et alia ecclesia, ad quam accedunt, eodem gauderet privilegio; *c)* consultum esse, ut a Rectoribus ecclesiarum hebdomadatim determinentur dies, quibus omnes Sacerdotes ibi celebrantes poterunt uti privilegio. Si enim singulis Sacerdotibus liberum esset, diebus non impeditis ad suum arbitrium eligendis canere Missam de Requite, facile pluribus, quam vi Indulti licet, diebus,

⁶⁾ S. R. C. 9. Maji 1857 ad. II. n. 3049. — ⁷⁾ Eph. Lit. 1899 pag. 623. seq. — ⁸⁾ S. R. C. 18. Maj. 1883 Dub. IV. qu. 5. n. 3574.

imo omnibus hebdomadae diebus in tali ecclesia Missae de Requie haberentur, quod evidenter esset contra spiritum et litteram Indulti.⁹⁾

8. Ritum quod attinet, hae Missae nisi celebrentur diebus solemnibus seu privilegiatis defunctorum (vide n. 13.), sunt ritus semiduplicis, utpote quotidianae de Requie cum cantu, ideoque tum quoad Missae formulare, tum quoad numerum, qualitatem et ordinem Orationum omnino sequuntur leges Missarum de Requie quotidianarum. — Sequentia *Dies irae* semper est dicenda, utpote in Missis de Requie cum cantu nunquam omittenda.

Caput V.

Missae de Requie in Oratoriis Praelatorum.

63. Etiam oratoria privata Praelatorum aliquo gaudent privilegio quoad Missas de Requie inibi celebrandas. Exstat enim Decretum S. Rituum Congregationis de die 8. Junii 1896¹⁾ hujus tenoris:

„Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII ad levamen animarum, quae in purgatorio detinentur, Sacrae Rituum Congregationi facultatem indulgere dignatus est, qua singulis petentibus S. R. E. Cardinalibus, Episcopis aliisque Praelatis, quibus Oratorii privati privilegium de jure competit, permitti possit in eodem Oratorio unica Missa privata de Requie defunctis applicanda infra hebdomadam, diebus non impeditis a Festo ritus duplicis quod jure translationis polleat, a Dominicis aliisque Festis de praecepto servandis, necnon a Vigiliis, Feriis Octavisque privilegiatis, et servatis Rubricis.“

64. Claritatis causa sequentia subjungimus:

1. Primo intuitu patet, privilegium, de quo agitur, datum esse in favorem Cardinalium, Episcoporum aliorumque Praelatorum, quibus ex jure competit privile-

⁹⁾ Eph. Lit. 1891 pag. 507.

¹⁾ In auth. Collect. nova sub n. 3915.

gium oratorii, idque pro ipsorum oratoriis domesticis tantum, non autem pro capellis et oratoriis extra eorum aedes.

2. Privilegium consistit in facultate litandi Missam privatam de Requie, defunctis sive in particulari sive in genere applicandam, semel infra hebdomadam etiam in Duplici minori, nisi sit Ecclesiae Doctoris. Hoc privilegio uti possunt dicti Praelati semel in hebdomada, licet infra eandem occurrant Officia semiduplicia et simplicia, quae Missas de Requie per se admittunt. Vide n. 62. ad 4.

3. Dies impediti, hanc Missam excludentes, sunt: a) dies, quibus occurrit Festum duplex, quod jure translationis pollet, nempe Festum duplex minus alicujus Ecclesiae Doctoris, Festum quodcunque duplex majus, Festa duplicia primae et secundae classis; b) Dominicae et Festa cujuscunque ritus et classis de praecepto servanda; c) Vigiliae privilegiatae Nativitatis Domini et Pentecostes, excepta Vigilia Epiphaniae, quae non est stricte privilegiata; d) Feria quarta Cinerum et omnes Feriae hebdomadae majoris; e) Octavae privilegiatae Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi.

4. Privilegium hoc non est per se datum, sed impetrari debet a Sacra Rituum Congregatione, quae illud singulis petentibus libenter impertiet.

5. Haec Missa est ritus simplicis, utpote Missa de Requie quotidiana sine cantu et iisdem ac haec regulis omnino ordinatur. Si dicatur in aliqua die solemni seu privilegiata defunctorum, fit solemnis, etsi legatur, et regulas Missarum de Requie solemnum sequitur. In primo casu *Dies irae* dici potest, in altero dici debet.

Caput VI.

De Missa pro defunctis prima die mensis non impedita.

65. Vi Rubricae generalis missalis tit. V. n. 1.
»prima die cujusque mensis (extra Adventum, Quadra-

gesimam et tempus paschale) non impedita Officio duplici vel semiduplici, dicitur Missa principalis generaliter pro defunctis Sacerdotibus, benefactoribus et aliis.»

1. Missam principalem, de qua sermo, intelligendam esse Missam conventualem, patet ex eadem Rubrica generali missalis n. 2. et tit. IV. n. 3, ubi Missa principalis aperte dicitur conventualis. Exinde sequitur, non dari obligationem eam celebrandi, ubi non datur obligatio Missam conventualem litandi et Officium in choro recitandi. Sed neque in ecclesiis ad chorum obligatis haec Missa ubique est de praecepto. Praeceptiva est in ecclesiis cathedralibus et collegiatis,¹⁾ idque etiam in iis, in quibus consuetudo recitandi Officium defunctorum prima die mensis non impedita, respondens huic Missae, non viget ideoque ex Bulla Pii V. obligatio recitationis ablata censenda est. Qui enim ab Officio dispensantur, non propterea dispensantur a Missa.²⁾ In ecclesiis Regularium Missa praefata est de congruo, nisi obligent constitutiones speciales aut consuetudo legitima, eam celebrandi.³⁾ Ceterum hanc Missam esse debere de Requie, per se patet, quum ex mente Rubricae dicenda sit pro defunctis.

2. Celebranda est prima die mensis non impedita Officio duplici vel semiduplici sive occurrenti sive translato sive votivo rite acceptato. Prima dies non impedita intelligenda est ea, quae prima vice in mense sine dicto impedimento occurrit, sive sit inter dies mensis numero prima, secunda, tertia vel alia ex sequentibus.⁴⁾ Nulla die non impedita in mense, cessat per se obligatio hanc Missam celebrandi.

3. Non est celebranda haec Missa diebus Adventus, Quadragesimae et temporis paschalis, utpote qui formaliter excluduntur a lege. Neque in casu trans-

¹⁾ S. R. C. 27. Febr. 1847 ad 1. n. 2928. — ²⁾ Pius V. duas edidit Bullas, quarum si una Breviario praemissa relaxat obligationem pro non habentibus consuetudinem recitationis Officii defunctorum, altera missali praefixa silet super exemptione Missae pro defunctis et ideo qui exoneratur ab Officio non exinde exoneratur a Missa. Cf. S. R. C. 10. Maji 1895 ad 1. n. 3856.; Eph. Lit. 1894 pag. 372. — ³⁾ Decr. gen. 2. Dec. 1891 ad 1. n. 3757. — ⁴⁾ S. R. C. 27. Mart. 1745 n. 2380.

ferenda est Missa extra tempus vetitum,⁵⁾ quia Rubrica non obligat nisi pro diebus non impeditis. Excipitur pariter casus, si prima dies libera occurrat tempore solemnis expositionis Sanctissimi vel privatae ex causa publica, quia durante expositione hujusmodi prohibentur Missae de Requie. Neque in hoc casu Missa transferenda est in diem liberam extra tempus expositionis, quia cessat obligatio, ubi servari non potest.⁶⁾

4. Intentio hujus Missae data est a lege, nimirum »generaliter pro defunctis Sacerdotibus, benefactoribus et aliis«. Quapropter non potest applicari particulariter pro defunctis Episcopis et Canonicis illius ecclesiae,⁷⁾ in qua celebratur, quippe quibus provisum est per Missam celebrandam ex mandato Caeremonialis Episcoporum lib. II. cap. 37. n. 1.

5. Sumenda est quarta Missa cum tribus Orationibus ibi assignatis, quae apprime congruunt cum intentione hujus Missae.⁸⁾ Celebranda est omnino ad normam Missarum conventualium, nempe statuto tempore, hoc est post Primam⁹⁾ et cum cantu,¹⁰⁾ nisi aliud habeatur legitimum Indultum.

6. Si in dicta die prima fuerit Festum simplex vel Vigilia¹¹⁾ vel Feria, quae propriam habeat Missam aut resumenda sit Missa Dominicae praecedentis, quae fuit impedita (a Festo duplici occurrente) et infra hebdomadam non occurrat alia dies, in qua resumari possit; in ecclesiis cathedralibus et collegiatis dicantur duae Missae, una pro defunctis (uti supra ad 5.) alia de Festo simplici vel Feria praedicta¹²⁾ cum commemoratione generali pro defunctis.¹³⁾ Eadem Missa de die cum commemoratione generaliter pro defunctis dicatur etiam in ecclesiis non cathedralibus nec collegiatis.¹⁴⁾

⁵⁾ S. R. C. 27. Febr. 1847 ad 4. n. 2928.; Eph. Lit. 1891 pag. 644. — ⁶⁾ Eph. Lit. 1901 pag. 314. — ⁷⁾ S. R. C. n. 2928 ad 2. — ⁸⁾ Ibid. ad 3. — ⁹⁾ Rub. gen. miss. tit. XV. n. 3. — ¹⁰⁾ S. R. C. 22. Jan. 1678 ad 4. n. 1609.; 3. Aug. 1737 ad 11. n. 2331; 14. Apr. 1753 ad 1. n. 2424. — ¹¹⁾ S. R. C. 25. Aug. 1882 ad 3. n. 3553. — ¹²⁾ Rub. gen. miss. tit. V. n. 1. — ¹³⁾ S. R. C. 13. Aug. 1701 n. 2077; 25. Aug. 1882 ad 3. n. 3553. Cf. Eph. Lit. 1901 pag. 313. — ¹⁴⁾ Rub. gen. miss. ibid.

Dicta commemoratio generalis pro defunctis facienda est per Orationem *Fidelium* (ex prima Missa) in penultimo loco ponendam,¹⁵⁾ hoc est semper immediate ante ultimam Orationem, cujuscunque ordinis haec sit, specialis, communis vel votiva.

Nota. Circa sensum verborum Rubricae »penultimo loco« magna exorta est controversia inter auctores. Alii¹⁶⁾ enim praefata verba intelligi volunt de loco proximo ante Orationem, quae inter omnes simul sumptas, votivis non exclusis, ultima recitatur. Alii¹⁷⁾ autem affirmant, verba ista respicere tantum Orationes de praecepto,¹⁸⁾ sic dictas speciales et communes, minime vero votivas,¹⁹⁾ ita ut commemoratio pro defunctis a Rubricis praescripta ponenda sit ante ultimam commemorationem specialem, si adsit, secus ante ultimam commemorationem communem, abstractione facta a votivis. Propugnatores hujus sententiae provocant ad duo Decreta S. Rituum Congregationis, quorum primum est de die 23. Maji 1835 in Namurcen., alterum de die 12. Decembris 1879 in Valentin. Sed incassum! Nam Decretum alterum non prostat nec in antiqua nec in nova Collectione Decretorum S. Rituum Congregationis, primum vero, quod in Collectione Gardelliniana sub numero 4746 positum erat, e novissima Collectione authentica eliminatum est. Ad neutrum ergo provocare fas est. Insuper Rubrica tit. VII. n. 5. loquitur de Orationibus specialibus, communibus et votivis necnon de ordine in iis servando. Statim autem in numero 6. immediate sequenti subjungit, commemorationem pro defunctis semper ponendam esse penultimo loco. Nonne legislator tali modo innuere voluit, commemorationem pro defunctis semper i. e. omni tempore et in omni casu, quotiescunque facienda sit, penultimo loco

¹⁵⁾ Ibid. tit. VII. n. 6. — ¹⁶⁾ Quarti, Guyetus, Cavalieri. —

¹⁷⁾ Bouvry et alii. — ¹⁸⁾ Orationes de praecepto sunt, praeter Orationem Officii diei, commemorationes speciales, quae dicuntur ratione Festi occurrentis, et communes, quae, si deficiant speciales, secundo et tertio loco superadduntur juxta exigentias ritus semiduplicis aut simplicis. — ¹⁹⁾ Votivae sunt vel a Superiore imperatae vel ad beneplacitum Celebrantis adjunctae.

ponendam esse etiam relate ad Orationes votivas, quae de mandato aut placito adduntur? Libenter igitur adhaeremus sententiae eorum, qui penultimum locum haud aliter esse volunt quam proximum ante Orationem, quae ex omnibus in globo sumptis ultima recitatur.

Caput VII.

De Missa pro defunctis Feria secunda hebdomadae non impedita.

66. Quod a Rubrica mandatur pro prima die mensis non impedita, simile quid praecipitur etiam pro Feria secunda hebdomadae libera. Mandat enim Rubrica: »Praeterea Feria secunda cujusque hebdomadae, in qua Officium fit de Feria, Missa principalis dici potest pro defunctis. Si autem fuerit propria Missa de Feria vel de Festo simplici vel resumenda sit Missa Dominicae praecedentis, ut supra, in Missa de die fiat commemoratio (ut dictum est) pro defunctis.«¹⁾

1. Quamvis haec Missa conventualis primo intuitu non videatur esse de praecepto, quum dicatur in Rubrica »dici potest«, nihilominus ex definitione S. Tribunalis Rituum censenda est praeceptiva eodem prorsus modo ac Missa prima die mensis non impedita.²⁾ Quapropter quae dicta sunt de obligatione hujus Missae (n. 65. ad 1.), valorem habent etiam quoad Missam, de qua sermo.

2. Celebranda est haec Missa Feria secunda cujusque hebdomadae, nisi haec Feria habeat propriam Missam, aut nisi occurrat Vigilia³⁾ aut Festum simplex vel Missa Dominicae praecedentis resumenda, quae fuit impedita (a Festo duplici occurrente) et infra hebdomadam non occurrat alia dies, in qua resumari possit; quibus in casibus non quidem duae Missae celebrandae sunt, uti sub istis conditionibus die prima mensis libera,

¹⁾ Rub. gen. miss. tit. V. n. 2. — ²⁾ S. R. C. 27. Febr. 1847 ad 1. n. 2928. — ³⁾ S. R. C. 25. Aug. 1882 ad 3. n. 3553.

sed dicenda est Missa conventualis juxta Officium diei cum commemoratione generali pro defunctis penultimo loco. Vide n. 65. ad 6.

3. Dicta commemoratio pro defunctis fieri debet non tantum in Missis conventualibus, sed etiam in quibusvis aliis Missis privatis de Simplici, de Feria, de Vigilia et in Missis votivis privatis.⁴⁾

4. Omittenda est haec Missa in Duplicibus et Semiduplicibus, necnon in Feriis secundis occurrentibus in Quadragesima et tempore paschali, non autem iisdem Feriis tempore Adventus. Diebus impeditis non est transferenda in aliam diem non impeditam, neque in casu facienda est commemoratio pro defunctis in Missa diei.⁵⁾

5. Quae dicta sunt in numero praecedenti ad 4. et 5. circa applicationem et ritum Missae prima die mensis libera, eadem observanda sunt etiam respectu hujus Missae.

6. Quando prima dies mensis et Feria secunda hebdomadae simul occurrant, observanda sunt dicta pro prima die mensis non impedita in numero praecedenti ad 6.



⁴⁾ S. R. C. 13. Aug. 1701 n. 2077. — ⁵⁾ Rub. gen. miss. 1. c.

Appendix.

De Missis in Altari privilegiato.

Caput I.

De Altaris privilegio.

67. Cum Missis privilegiatis, de quibus agebatur in articulo secundo, non sunt confundendae illae Missae privilegiatae pro defunctis, quae litantur ad altare privilegiatum vel ad quodcunque altare a Sacerdote habente privilegium altaris. Hoc privilegium consistit in eo, quod ex concessione Summi Pontificis Christifidelibus in Dei charitate defunctis Indulgentia plenaria per modum suffragii mediante celebratione Missae applicari possit. Estque vel locale, quando altari est adnexum, vel personale, quando Sacerdotibus conceditur. In primo casu quivis Sacerdos ad dictum altare celebrans Indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucratur; in secundo casu in quovis altari, sive fixo sive portatili, privilegiato vel non privilegiato, Celebrans per Missae sacrificium animabus flammis piacularibus purgatorii addictis Indulgentiam plenariam applicare potest.

Quomodo haec Indulgentia intelligenda sit et qualis ejus effectus, S. Congregatio Indulgentiarum ipsa declaravit dicens: »Per Indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligendam esse Indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse Indulgentiam, cujus mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet.«¹⁾

Si quaeras, quomodo interpretanda sit inscriptio, quae reperitur in aliquibus altaribus, hujus tenoris *Altare privilegiatum pro vivis et defunctis*, eadem

¹⁾ S. C. Indulg. 28. Jul. 1840 n. 283.

S. Congregatio Indulgentiarum respondit: »Interpretanda est ita, ut tam pro vivis, si in altari, de quo agitur, Missae sacrificium pro vivis applicetur, quam pro defunctis, si pro his s. Sacrificium applicetur, intelligatur concessa plenaria indulgentia; pro vivis ad modum jurisdictionis, pro defunctis ad modum suffragii.«²⁾ Per Missam ergo ad altare hujusmodi celebratam Indulgentiam plenariam lucratur vivus, si pro eo Missa applicetur et si in statu gratiae inveniatur, idque directe et immediate seu per modum jurisdictionis, quia vivus subiectus est potestati clavium Ecclesiae; defuncto autem pro quo Sacrificium offertur, Indulgentia applicatur per modum suffragii, quia in defunctos Ecclesia nullam habet jurisdictionem.

Caput II.

Regulae circa Missas in Altari privilegiato celebrandas.

68.—1. Missa celebrata ad altare privilegiatum, vel a Sacerdote habente privilegium personale etiam ad altare non privilegiatum, est per se privilegiata, ideoque necesse non est, ut vel offerens eleemosynam vel Celebrans intendat applicare privilegium.¹⁾

2. Ut Indulgentia privilegii pro defunctis lucrari possit, sub poena nullitatis requiritur, ut celebretur Missa de Requie, scilicet in paramentis nigris²⁾ diebus non impeditis, hoc est iis, quibus Missae de Requie per Rubricas vel per Indultum apostolicum permittuntur,³⁾ nisi obstet expositio ss. Sacramenti, Statio ecclesiae (scil. Romae) aut alia solemnitas. Diebus vero impeditis vel obstante expositione Sanctissimi aut Sta-

²⁾ S. C. Indulg. 25. Aug. 1897 ad 3. (Eph. Lit. 1898 pag. 64.)

¹⁾ S. C. Indulg. 12. Mart. 1855 ad 1. n. 366. — ²⁾ De Miss. de Requie in colore violaceo vide artic. 1. cap. 1. n. 1. ad 2. —

³⁾ S. C. Indulg. 11. Apr. 1840 ad 3. n. 281; 22. Febr. 1847 ad 1. et 2. n. 339; 14. Jan. 1886; S. R. C. 27. Aug. 1836 ad 5. n. 2743.

tione ecclesiae aut aliqua solemnitate, Indulgentia lucratur per quamcunque aliam Missam.⁴⁾

3. Indulgentia altaris privilegiati separari nequit ab applicatione seu fructu Sacrificii, hoc enim modo privilegium altaris a Summo Pontifice conceditur.⁵⁾ Non potest ergo Missa offerri pro hoc et Indulgentia applicari pro alio defuncto. Eo minus Indulgentia applicari potest pro aliquo defuncto, quando Missa, licet ad altare privilegiatum, celebratur pro vivis.⁶⁾

4. Privilegium altaris, sive locale sive personale, non suffragatur pluribus defunctorum animabus in eadem Missa, sed uni tantum, etiamsi Missa pro pluribus vel pro omnibus fidelibus defunctis celebretur.⁷⁾ Consultius ergo erit, quando pro pluribus offertur Sacrificium, ut pro applicatione privilegii anima, in quantum fieri potest, specialiter in mente determinetur, vel, si forte illa non amplius indigeret levamine, ut applicatio omnino relinquatur divino beneplacito. Diximus »consultius«, quia privilegium inutile non evasit ex eo, quod uni ex pluribus determinatae animae non applicabatur.⁸⁾

5. Sacerdos habens privilegium personale altaris, si accipit stipendium pro Missa celebranda in altari privilegiato, satisfacit oneri suscepto, utendo privilegio suo personali, quamvis celebret in altari non privilegiato.⁹⁾

6. Pro Indulgentia plenaria altaris privilegiati non potest substitui alia Indulgentia plenaria pro defunctis. Unde Sacerdos, qui ex quacunque ratione Indulgentiam privilegii non lucratur, non satisfacit susceptae obligationi aliam Indulgentiam plenariam applicando defunctis, pro quibus ad altare privilegiatum servatis servandis celebrare debuerat.¹⁰⁾ Ratio esse videtur, quia appli-

⁴⁾ S. C. Indulg. 20. Jul. 1751 n. 189; 27. Nov. 1764 ad 2. n. 233. et n. 234. ad 3; 11. Apr. 1864 n. 404; S. R. C. 29. Sept. 1714 n. 2228, 22. Jul. 1848 n. 2962. — ⁵⁾ S. C. Indulg. 19. Dec. 1885. — ⁶⁾ S. C. Indulg. 25. Aug. 1897. — ⁷⁾ S. C. Indulg. 29. Febr. 1864 ad 1. n. 402; 19. Jun. 1880 ad 2. n. 451; 19. Dec. 1885 ad 1. 2. — ⁸⁾ S. C. Indulg. 19. Jun. 1880 ad 3. n. 451. — ⁹⁾ S. C. Indulg. 15. Mart. 1852 n. 351. — ¹⁰⁾ S. C. Indulg. 2. Maji 1852 ad 2. n. 357.

catio Indulgentiae altaris privilegiati est subsidium certissimum et potissimum, quo sublevantur animae in purgatorio detentae. Nihilominus conceditur hujusmodi substitutio tamquam compensatio subsequens, si Sacerdos bona fide animas Indulgentia privilegii frustraverat, quo in casu tenetur pro iisdem aliam Indulgentiam plenariam lucrari toties, quoties eos praefato modo Indulgentia privilegii privaverat.¹¹⁾

7. Sacerdos, qui gaudet privilegio altaris personali, si aggregatus sit alicui Congregationi, quae etiam dicto privilegio gaudet, potest adhuc frui hoc alio privilegio, quum aliunde jam habeat per tres aut quatuor vices in hebdomada tale privilegium, dummodo in Indulto aliter expresse non disponatur.¹²⁾

8. Sacerdos, qui Missam celebrat pro defuncto eidemque applicat Indulgentiam plenariam altaris privilegiati, potest eodem die vi sacrae Communionis in Missae sacrificio peractae lucrari aliam Indulgentiam plenariam vel sibi vel defunctis applicabilem, si ad hanc lucrandam praescribatur sacra Communio.¹³⁾

9. Quando altare ita est privilegiatum, ut etiam pro vivis lucrificari possit Indulgentia plenaria cum Missa in dicto altari, haec Missa semper esse potest de vivis, quamvis esse quoque possit de Requie.¹⁴⁾



¹¹⁾ S. C. Indulg. 22 Febr. 1847 ad 3 n. 339. — ¹²⁾ S. C. Indulg. 27. Maji 1839 n. 272. — ¹³⁾ S. C. Indulg. 10. Maji 1844 ad 2. n. 327. — ¹⁴⁾ Eph. Lit. 1902. pag. 459. sq.

INDEX.

Articulus I.

De Missis de Requie in genere.

Pag

<i>Caput</i>	<i>I.</i>	Missae de Requie notio	1
<i>Caput</i>	<i>II.</i>	Missarum de Requie divisio	2
<i>Caput</i>	<i>III.</i>	De Obligatione celebrandi Missas de Requie	4
<i>Caput</i>	<i>IV.</i>	De Impedimentis Missarum de Requie	9
	§ 1.	Ritus qualitas	9
	§ 2.	Expositio ss. Sacramenti	11
	§ 3.	Penuria Sacerdotum	13
<i>Caput</i>	<i>V.</i>	De Orationibus in Missis de Requie	14
	§ 1.	Quando unica Oratio dicitur?	14
	§ 2.	Quando plures Orationes dicuntur?	17
	§ 3.	De Oratione pro vivis in Missis de Requie	18
<i>Caput</i>	<i>VI.</i>	De Sequentia in Missis de Requie	19

Articulus II.

De Missis privilegiatis Defunctorum.

<i>Caput</i>	<i>I.</i>	De Missis privilegiatis Defunctorum in genere	20
<i>Caput</i>	<i>II.</i>	De Missis in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum et per ejus Octavam	21
<i>Caput</i>	<i>III.</i>	De Missis in die vel pro die obitus seu depositionis in genere	25
<i>Caput</i>	<i>IV.</i>	De Missa exequiali solemnī	26
	§ 1.	Regulae generales circa Missam exequialem solemnem	27
	§ 2.	Privilegia Missae exequialis solemnīs	32
	§ 3.	Ritus Missae exequialis solemnīs	35
<i>Caput</i>	<i>V.</i>	De Missis exequialibus privatis	36
	§ 1.	Regulae generales circa Missas exequiales privatas	36
	§ 2.	Privilegia Missarum exequial. privatarum	42
	§ 3.	Ritus Missarum exequialium privatarum	44
<i>Caput</i>	<i>VI.</i>	De Privilegio Episcoporum	44
<i>Caput</i>	<i>VII.</i>	De Missa exequiali pro pauperibus	46
<i>Caput</i>	<i>VIII.</i>	De Missa post acceptum de alicujus obitu nuntium	48

	Pag
<i>Caput IX.</i> De Missis die tertio, septimo et trigesimo . . .	51
<i>Caput X.</i> De Anniversariis Defunctorum in genere . . .	55
<i>Caput XI.</i> De Anniversariis stricte sumptis	57
§ 1. Regulae generales circa Anniversaria stricte sumpta	57
§ 2. Privilegia Anniversariorum stricte sumptorum	61
§ 3. Ritus Anniversariorum stricte sumptorum	63
<i>Caput XII.</i> De Anniversariis late sumptis	64
<i>Caput XIII.</i> De Anniversariis latissime sumptis	67

Articulus III.

De Missis non privilegiatis Defunctorum.

<i>Caput I.</i> De Missis quotidianis Defunctorum in genere	69
<i>Caput II.</i> De Missis quotidianis Defunctorum in specie .	72
<i>Caput III.</i> Missae de Requie in sepulcretorum sacellis et oratoriis	73
<i>Caput IV.</i> Missae de Requie cum cantu aliquoties in hebdomada indultae in Duplicibus	77
<i>Caput V.</i> Missae de Requie in oratoriis Praelatorum	80
<i>Caput VI.</i> De Missa pro defunctis prima die mensis non impedita	81
<i>Caput VII.</i> De Missa pro defunctis Feria secunda hebdomadae non impedita	85

Appendix.

De Missis in Altari privilegiato.

<i>Caput I.</i> De Altaris privilegio	87
<i>Caput II.</i> Regulae circa Missas in Altari privilegiato celebrandas	88



NARODNA IN UNIVERZITETNA
KNJIŽNICA

COBISS



00000320610

In eadem Libraria catholica

Labaci (Laibach) in Austria

prostat

ENCHIRIDION
LITURGICUM

in usum

Clericorum et Sacerdotum
in sacris functionibus.

Ex libris liturgicis

S. Rituum Congregationis Decretis
et probatis auctoribus

collegit

JOSEPHUS ERKER,

Consistorii episcopalis consiliarius, director spiritualis Seminarii
clericalis Labacensis.

1896.

Pretium: Cor. 3'00 = M. 3'00 = Fr. 3'75.

— 800